TEXTVS ALIQVOT

APOSTROPHES BEATI MARTYRIS

RAYMVNDI LVLLI DOCTORIS CÆLITVS ILLVSTRATI, PER Drem. Antonium Riera Rectorem Lulliani Collegii Beatæ Mariæ Sapientiæ ex explicatione concinnati.

SVB CORRECTIONE SACROSANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ.

ÆTERNO, ET POTENTISSIMO DEO, TOTIVS LVMINIS, ET SAPIENTIÆ FONTI, QVI GENEralem, & mirabilem Artem servo suo Raymundo Lullo pro infidelium conversione in monte Randino flagranter oranti revelare dignatus est.

MAIORICIS.

Ex Officina Margaritæ Guasp Viduæ.
Anno MDCLXXXIX.

APPROBATIO

Admodum R. P. Fr. Francisci Estapoll Provinciæ Maioricarum Sancti Francisci de Observantia Lectoris Iubilati, Studiorum Regentis, ac Sanctæ Inquisitionis Qualificatoris.

EX Commissione Perillustris D. Dris. Christophori Fiol Almæ Sedis Maioricarum Præcentoris, Vicarii Generalis, & Officialis Illmi. & Rmi. D. D. Petri de Alagon Archiepiscopi, Episcopi. Textus aliquot Apostrophes B. Martyris Raymundi Lulli Doctoris cælitus illustrati per Doctorem Antonium Riera, Rectorem Collegii B. Mariæ Sapientiæ explicatione concinnatos vidi, avidé perlegi, fusamq; hanc enucleationem Lullianæ Doctrinæ (quæ á PP. Tridentini Concilii, id pluribus Doctoribus apud P. Marçal in Arte brevi citatis annuentibus, ab omni prorsús censura eliminata fuit) conformem reperi. Qua proptér vt iam luculenta hæc enodatio se in orbem fœlicibus inferat auspiciis, albenti lapillo, Doctorum applausu digna iudicatur. Sic sentio in Regio Seraphici P. N. S. Francisci Civitatis Maioricarum Cœnobio die 19. Septembris 1689.

Fr. Franciscus Estapoll.

Die 20. Septembris 1689. Visa approbatione A. R. P. Fr. Francisci Estapoll. Imprimatur.

Fiol Vic. Gen. & Off.

Attenta approbatione Ordinarii. *Imprimatur.*


Liñyan, & Muñoz Reg.

TExtuum aliquot Apostrophes denodationem viri gravissimi postulabant. Ideoque ego Sole Raymundo, radios mundo ministrante natus, currum paternũ, Apostrophes textus noviter subtiles, illius é Cælo Generalis Artis rotis percurrentem, quemadmodum Phaeton, suscipio regendum. Imperité prorsus, vti Phaeton, quod si facerem temeré, culpá forct: opoitet enim inquit Plut. remum ducere qui didicit.

At non ingredibr temeré: temerarius namque secundũ Arist. lib. 2. Etich. Est ille, qui nihil omnino formidat: Ego autẽ summopere contremisco. Sed potius Magistri honorem diligo: audaciã ideo adhibeo, non pigritiã: ait enim DR. in proverb. part. 3. cap. 45. Homo audax considerat primó honorẽ, quàm periculũ. Audacia venit ab amore: & pigritia, vel vecordia de pavore: Amor sequitur, vel fugat: & timor fugit. Temerarius quoque is censetur, qui leviter, nullo concilio adhibito, sine vlla causa aliquid aggreditur: Demonax quidem refert Eras. lib. 8. apoph. aliquando in balneis cum refugeret ingredi aquam ferventiorẽ, & alius illum appellaret meticulosum: quid, inquit, an hoc pro patria passurus essem? sentiens temeritatis esse, non fortitudinis subire periculum, nisi ob causam gravem, & honestã fiat. Ego autem non leviter, sed ob causam gravem, & honestam facio. Hoc quidem sicuti Phaeton appeto, & quemadmodũ ipse sponte: obligatione nihilominus, moralive necessitudine. Sed rem aggrediamur.

TEXTVS VIGINTI QVATVOR APOSTROPHES BEATI RAYMVNDI LVLLI DOCTORIS CÆLITVS ILLVSTRATI PROPONVNTVR, & denodantur.

TEXTVS I.



I OBIICIATVR, quod multa potest Deus facere, quæ non vult facere: dicendum, quod omnia quæcunque Deus potest facere, quæ si non facit, sequitur inconveniens, vult facere: eo quia debet; cum suum posse, & suum velle coincidant. Cap. quod sit recreatio rat. 6.

NODVS.

SEntit Doctor Deum necessitatum ad extra, vt faciat quæcunque potest, si ex hoc quod non faciat sequatur inconveniens.

ENODATIO.

NOtandum primò, quòd libertas, in Lulliana schola, essentialiter stat in eo, quòd agens se potens sentiens, & cum cognitione obiecti complacenter agat; seu ad sui ipsius dominium, & imperium moveatur ad actum. Et libertas sic nihil dicit de

indifferentia, vti in Deo, provt liberé se ipsum amat, nullam habens indifferentiā ad sui amorē. Et libertate hac certum est Deum liberé operari ad extra.

Est deinde in libertate indifferentia ab intrinseco: quæ stat non in posse facere vtrumlibet, sed in sentire in se libertatem faciendi vtrumlibet, Et ex hac indifferentia ab intrinseco libertatis venit indifferentia ab extrinseco, sive contingentia. Sit in exemplum porta, & mea libertas: vtraq; enim indifferentiā dicit: quoniā indifferens est portæ aperiri, vel claudi; & indifferens est mihi claudere eam, vel aperire: & quidem in porta est hæc indifferentia ab extrinseco, sive contingentia: quia non potest se determinare ab intrinseco vt sit clausa, aut aperta: sed debet ab extrinseco determinari: indifferentia vero ab intrinseco est in me: quoniam ego me determino ab intrinseco, vt claudam portam, vel aperiam.

Notandum postea, quód necessitas ad aliquid faciendum (idem dicendum suo modo de necessitate ad aliquid non faciendum) ad rem est duplex: vna est physica ab intrinseco, quæ venit á determinato principio: opponiturq; libertati indifferentiæ; vt in igne, qui ex naturæ suæ necessitate calefacit, ad hoc ab intrinseco determinatus.

Altera est necessitas moralis perfectionis, quæ sistit in non posse non operari, non ex necessitate naturæ, seu determinati principii; non defectu potentiæ liberæ ab intrinseco indifferentis; neque ab extrinseco per violen-

violentiam; sed duntaxat ex plenitudine perfectionis operantis.

Notandum præterea, quod duplex ex adverso est potentia in Deo, vna absoluta, quæ absolvit ab eo quod exigit plenitudo Divinarum perfectionum: altera est ordinata, & regulata per magnitudinem Divinarum perfectionum. Absoluta ex adverso ponitur necessitati physicæ: Deus enim potestate absoluta potest facere id, quod physica necessitate non necessitatur non facere: ac potestate absoluta potest non facere id, quod physica necessitate non necessitatur facere: non autem potestate absoluta potest facere id, quod physica necessitate necessitatur non facere: nec potest potestate absoluta non facere id, quod physica necessitate necessitatur facere.

Ordinata vero potentia ex adverso ponitur necessitati morali perfectionis: Deus namque potestate ordinata potest facere id, quod morali necessitate non necessitatur non facere: & potest ordinata potestate non facere id, quod necessitate morali non necessitatur facere: non autem potest potestate ordinata facere id, quod necessitate morali necessitatur non facere: nec ordinata potestate potest non facere id, quod morali necessitate necessitatur facere.

Hæc autem potentia ordinata secundum plenitudinem perfectionum Divinarum est aliquoties vná secundum legem præfixam naturæ: nonnunquam vero absolvit á lege præfixa naturæ: quæ potentia

ordinata, sic absoluta vsus fuit Deus in igne fornacis Babylonis: ignis enim de potestate Dei ordinata secundum magnitudinem perfectionum Divinarum, & simul legem præfixam suæ naturæ comburere debeba: quia tamen ad finem á Deo intentum aliter oportebat; absoluta fuit potestas Dei á lege præfixa naturæ ignis, & fuit ordinata secundum perfectiones Divinas: quibus notatis.

Dico primó: asseverat Doctor Deum quoad extra liberé indifferenter agentem: subindeque mundum, vná cum eius partibus, tam intra ordinem naturæ, quã intra ordinem gratiæ contingentem, nihilminús physicé necessarium. Patet ex lib. Natal. pueri parv. Iesu cap. 18. vbi ait Divina Potestas: *Cum per me ipsam sim sufficientissima; per me, & simpliciter absoluta; sine Angelis, sine vniverso, sine anima, & quocumque extrinseco subsistere valeo.* Et in lib. de disp. intel. & fid. cap. de creat. mundi inquit Doctor: *duplex est principium, scilicet naturale, & contingens: naturale, sicut Deus Pater principians Deum Filium, & tale principiũ est ab æterno: contingens, sicut mundus, qui est principiatus per contingentiam: quia si Deus voluisset non principiavisset ipsum: & sic de bonitate, & magnitudine, quæ sunt duplices, scilicet naturalis, & per contingentiam: naturalis, sicut bonitas Divina, ex qua Deus Pater producit Bonum Filium ab æterno: eo quia ipsa est ei ratio, quód naturaliter agat bonum, & de tali bonitate Deus non potest esse otiosus; & quia bonitas, quæ est per contingentiam, non*

est

est Deo naturalis: non propter hoc Deus est ociosus, si non agat ab æterno. Ac in 3. sent. cap. 99. *Quando Deus mundum creavit de nihilo, mundus quoad se nullum ius, neque dignitatem habebat erga Deum, quod ipsum creare debuisset: quia si fuisset, iam fuisset mundus aliquid; sed Deus per suam liberam voluntatem mundum creare voluit, & gratiam facere: vnde sicut Deus voluit creare per voluntatem liberé: ita per suam bonitatem voluit liberé bonum creare, & sic de magnitudine, &c.*

Ac proinde intelligit Doctor, Deum necessitate morali facere debere, seu potestate ordinata non posse non facere id, quod convenientius, vtilius, sive rationabilius est: & ex adverso necessitate morali debere non facere, seu potestate ordinata non posse facere id, quod minús conveniens, minús vtile, sive minús rationabile est. De tali enim necessitate, & potestate loquitur Doctor implicité, vt docet P. Riera in suo memor. sect. 1. prælud. 3. dicens: *Loquitur de Dei potentia ordinata similiter; aliquando explicite; aliquando vero implicite* Et infra: *ratio, ob quam sit Lullus intelligendus loqui implicité de potentia ordinata, cum ait:* Deum non posse contra id, quod rationabilius est, & quod ab æterno decrevit; *est vniversalis suppositio principiorum Artis, qua in sua Arte, & in omni volumine præsupponit Dei decretum æternum circa quicquid rationabilius est; ratione cuius suppositionis dicuntur bonitas, magnitudo, &c. quoad extra esse in Dei decreto cum rationabiliori maioritate.* Idem tenet P. Marçal in Arte

brevi epist. ad Lectorem pag. 15. Et constat ex lib. de Concept. parte 4. rat. 11. vbi Doctor de Deo sic loquitur: *plura potest de potestate absoluta, de quibus nobis non licet inducere consequentiam; attento, quod nostra disputatio semper de potestate ordinata in omnibus argumentis loquatur.*

Et in lib. 5. sap. disp. 5. part. 4. cap. 45. inquit: *Ad illud, quod obiicitur contra voluntatem, quæ non concordat ad volendum ea, quæ sapientia scit, quód potestas potest facere: cum Deus sciat quod posset facere de aliquo rustico regem, & alium mundum creare; quod tamen non facit, quia voluntas non vult. Respondetur, quod nulla est repugnantia inter illas; cum sint idem numero: & conceditur, quod illa potest Deus, cum consideratur eius potestas absoluta, in qua sapientia habet scire absolutum: & hoc vult absoluta voluntas, scilicet, quód potestas posit, & sapientia sciat, illa posse producere, habens in ipsis velle absolutum: & ipso modo considerando ipsas dignitates, non oportet, quód respondeant eis effectus exteriores in actu: quia nec Deus inordinatum, & indeterminatum quicquam producit; quod faceret, si ageret secundum quod considerantur dignitates absoluté, & sic nunquam esset subiectum, in quo quiescere possent, sicut superiús dicebatur, quod est inconveniens: sed male dicis, in quantũ tale posse, & velle est determinatum secundum magnitudinem bonitatis, durationis, potestatis, & aliarum.*

Præterea loquitur Doctor implicité, quum intra ordinem gratiæ loquitur, de Dei potentia ordinata

ſecundum magnitudinem divinarum perfectionum, abſoluta á lege præfixa naturæ. Patet ex 1. contempl. diſt. 6. cap. 18. vbi inquit: *Si errantes impugnarent, quòd Virgo non poſſet parere, dum eſſet virgo; & eorum eſſet opinio, ſi impugnarent rationibus, quæ contra tuam eſſent ordinationem, & contra tuam ſapientiam; nihil mirum, ſi impugnarent: ſed illi, Domine, impugnant ratione curſus naturæ; & non obſervant, nec petunt, ſi tu in illo ratione inniteris, & occaſione, vt naturam compellas.*

Fundat autem Doctor Dei neceſſitatem moralem ad quicquid rationabilius eſt in ſumma Divinorum principiorum idemtitate, ratione cuius debet habere Deus maximam principiorum æqualitatem, & concordantiã in operatione; ſeu debet æqualiter, & concorditer operari ſecundum exigentias ſuorum principiorum; proindeq; bonitas infinita, ſumma magnitudo, maioritas ſupræma, & omnes perfectione plenæ, quæ optima, & maxima exigunt operari, ſunt Divinæ virtuti rationes, vt melius, & maiora debeat operari ad extra: hoc propter inquit Doctor in arb. Chriſt. cap. de flor. *minor virtus tantum non eſt principiabilis per Divinum principiũ, ſicut maior virtus: & hoc eſt, quia ad virtutem Dei ſpectat meliùs maior principiabilitas virtutis, quam minor.* Sapientia etiã infinita, perfectioniſq; plena, quæ ſapienter, & prudenter exigit operari, eſt Divinæ voluntati ratio, vt rectius, & rationabilius debeat eligere: ſapientis enim, & prudentis eſt, melius, & vtilius eligere: &, vt ait

Doctor in proverb. part. 1. cap. 55. *modicum scit de electione qui antea parvum bonum accipit, quā magnum.* Bonitas quoque maxima, & perfectissima est Divinæ voluntati ratio, vt magis diligat magnitudinem bonitatis, quam parvitatem: quapropter ait Doctor in arb. Christ. cap. de flor. *ad voluntatem Divinam spectat meliùs, amare magnum bonum, quam minùs:* subindeque ad ipsam spectat rationabilius eligere; ait enim ibidem: *sicut maior amabilitas creaturæ est magis amabilis, quam minor; ita maior scibilitas creaturæ est magis amabilis, quam minor: & idem est de maiori bonificabilitate creata.* Summa quoque liberalitas, & magnificentia, quæ exigunt maxima dona, & gratias facere, sunt Divinæ potestati rationes, vt maiora, & vtiliora debeat operari. Et iustitia rectissima, quæ exigit vnicuique tribuere quod suum est, ratio est Divinæ bonitati, magnitudini, sapientiæ, voluntati, liberalitati, &c. vt secundum suas exigentias, & proprietates debeant æqualiter, & concorditer operari.

Dices: licet dignitates Divinæ summé idemtificentur, & in Lulliana schola ad actus tantum, non autem inter se, & ad essentiam comparatæ, sola distinctione virtuali, seu ex natura rei formali distinguantur: tamen in productionibus ad intra non habent æqualitatem, nec concordantiam: solus enim intellectus Divinus est principium productivum Verbi, & voluntas Spirati: igitur,

Solu-

Solutio: in Lulliana ſchola, ex Doctore paſsim, omnes perfectiones Divinæ in productionibus ad intra æqualiter, & concorditer ſunt infinité fœcundæ, & productivé concurrunt: licet intellectus (in vtraq; productione productivé concurrens) ſolus in prima productione ſe teneat de principali, denominativé, & determinativé; cum habeat connotatũ requiſitum, ſcilicet verbum: & voluntas (in vtraque etiam productione productivè concurrens) ſola in ſecunda productione; cum habeat connotatum requiſitum, videlicet Spiratum, ſe teneat de principali, denominativé, & determinativé.

Dices præterea: inter Divina principia nequit dari æqualitas, & concordantia in operatione ad extra; ſeu vnum principium in Divinis maiorem habet actum in effectum, quam aliud: igitur. Antecedens probabit Eremita in 1. ſent. quæſt. 32. ſic dicens: *Divinus intellectus magis eſt infinitus in intelligendo effectum, quã Divina bonitas, & voluntas; cum Divinus intellectus intelligendo, totum vniverſum comprehendat: ſed Divina bonitas nõ omnes partes vniverſi bonificat; ſicut eſt homo peccator, quem non bonificat; neque Divina voluntas ipſum diligit; ſed Divina ſapientia ipſum intelligit: vnde ſequitur, quód vnum attributum in Divinis maiorem habeat actum in effectum, quam aliud.*

Reſpondet Doctor ſic: *Quicquid Deus agit ſecundum ſua attributa agit: & ſecundum quod partes mundi capaces ſunt, & diſpoſitæ, vt attributa Dei in ipſis*

agant; sicut totum vniversum, & partes suæ, dispositum est, vt á Divina sapientia intelligatur: sed homo malus, cum sit contra bonitatem Divinam, dispositus non est, vt á Divina bonitate sit bonificatus: cum inter bonum, & malum nulla sit concordantia: & sic de Divina voluntate, quæ cum mala voluntate concordantiam habere non potest.

Dices postea: Divina potestas operatur minús bona, parva, & minora: igitur bonitas infinita, summa magnitudo, & maioritas supræma non sunt Divinæ potestati rationes, vt meliora, magna, & maiora debeat operari ad extra. Et sic de Divina sapientia; quæ neque erit ratio Divinæ voluntati, vt rationabilius debeat eligere.

Respondeo ex Arte magna part 9. sect. 1. de Deo cap. 5. art. 18. vbi ait Doctor: *in Deo non est minoritas; quia ipse est maioritas infinita, & æterna: aliter vnum oppositum esset aliud oppositum, quod est impossibile: & ob hoc Deo competit maiorificare, non autem minorificare: sed quia mundus absque minoritatibus minimé esse potest; idcircó Deus disponit se ad creandum minoritates in mundo; vt per minoritates finitas sua maioritas infinita cognoscatur; vnum enim oppositum magis cognoscitur per reliquum.* Et pauló post: *Deus cognoscens se magis dispositum ad creandum maioritatem, quam minoritatem; ideo creat minoritates propter maioritates; sicut corpus hominis propter animam rationalem; & omnia corporalia ad corpus hominis; & folia, & flores ad fructum,*

&

& ſic de aliis ſecundariis intentionibus ad primas intentiones.

Deinde licet Deus minus bona, parva, & minora producat in mundo; quia tamen optima, & maxima etiam producit in ipſo; taliter quód, vt ait Doctor ibidem art. 2. *Cum Deus ſe cognoſcit ſic magnum, & infinitum exiſtendo, & agendo, ſe cognoſcit bené ordinatum, & diſpoſitum ad producendum creatum magnum; & hoc in tantum, quód produceret ens creatum infinitum, ſi creatum eſſet capax ad recipiendum magnitudinem infinitã: ſicut ignis, qui ſi haberet copiam lignorum, magnificaret, & multiplicaret ſuam flammam vſque ad ſpherã Lunæ;* ob id ipſum Deus meliora ſemper abſoluté, & maiora producit; melior enim, maior, & pulchrior eſt mũdus ex maioritatibus, & minoritatibus; primis, & ſecundariis intentionibus, quam ex magnis tantum concinnatus; mundus namque in varietate conſiſtit. Sapientia inde infinita eſt Divinæ voluntati ratio, vt rationabilius eligat; quoniam creare etiam parvitates, & minoritates; ſeu rerum varietatem, pulcherrimam ſubordinationem, & harmoniam in mũdo rationabilius eſt.

Dices inſuper: melius, & rationabilius eſt omnes Angelos, & homines non poſſe peccare; quam poſſe; & eſſe confirmatos in gratia, & prædeſtinatos; quam non eſſe. Etiã melius, & rationabilius eſt, Deum producere omnes mundos, & creaturas poſsibiles; quam non producere; quia totum hoc eſſet ad maiorẽ Dei

honorem, & extrinſecam gloriam; & Divinarum perfectionum maiorem oſtenſionem; ſed Deus non fecit: igitur.

Solutio: non melius, & rationabilius eſt, omnes creaturas rationales non poſſe peccare; quam poſſe: creatura enim rationalis, quia ex nihilo eſt, neceſſarió phyſicé connectitur cum radicali inclinatione ad peccatum: (radix quidem peccandi ſtat in eo, quód creatura rationalis ſit ex nihilo, vt apparebit ex denodatione tex. 17.) & habet libertatem ex natura, & proprietate ſua ab intrinſeco indifferentem ad operandum ſecundum inclinationem ad malũ, ſeu peccatum; vel ſecundum inclinationem ad bonum: & licet creaturæ omnes rationales poſſent impediri á Deo, ſeu in gratia confirmari, ne operarentur ſecundum inclinationem ad malum: non tamen debuit Deus hoc in omnibus facere: (& ſi in aliquibus fecit, fuit; quia privilegium tantum paucis, & ſolúm nobiliſsimis, & maximé dilectis debuit concedi) ſed debuit Deus creaturas rationales relinquere in manu concilii ſui; debuit enim non operari contra illarum naturam: nec etiam contra Divinam iuſtitiam, quæ exigit in illarum libertate indifferentiam, non impeditam ad operandum ſecundum inclinationẽ ad bonum, vel ſecundum inclinationem ad malum; vt illas ſecundum opera iudicet, præmiando bona, & mala puniendo. Ac inde non debuit Deus omnes creaturas rationales prædeſtinare, quum prædeſtinatio, ratione

rectissimæ, & infinitæ iustitiæ, requirit opera bona, vitæ æternæ meritoria ab æterno prævisa, vti passim docet Doctor, & Lulliana schola. Et totum hoc est ad maiorem Dei honorem, & gloriam; & Divinarũ dignitatum maiorem ostensionem: quoniam ita meliùs ostenditur iustitia rectissima, & sapientia prudentissima, &c.

Quoad productionem omnium mundorum, & creaturarum possibilium, dico, (annotando quód in Lulliana schola, ex Doctore passim, repugnat extra Deum infinitum in actu, etiam & in potentia.) *quód illa potest Deus, cum consideratur eius potestas absoluta,* vt ait Doctor in lib. 5. sap. disp. 5. cap. 45. non autem rationabilius est, quod Divina potestas creet omne id, quod potest potestate absoluta, licet termino non repugnet: *quia nec Deus*, vt ibidem dicit Doctor, *inordinatum, & indeterminatum quicquam producit; quod faceret, si ageret secundum quod considerantur dignitates absoluté; & sic numquam esset subiectum, in quo quiescere possen* Quod autem inordinatum, & minus rationabile sit, quód Deus complures mundos producat, docet Doctor in 1. contempl. dist. 6. cap. 18. his verbis: *Si velles, Domine, tot posses creare mundos, quód infinitũ esset illos numerare: sed quia non habuisti occasionem cõplures creandi mundos; sicut, vt vnum duntaxat creares, occasionem habuisti; ideo creare noluisti, nisi vnum: finalis enim causa, ob quam mundum creasti, fuit, quód creaturæ te timerent, diligerent, & laudarent, tibique servirẽt;*

& causa hæc finalis non posset ita bene ordinari, si complures mundos creasses, sicut est, cum non creasti, nisi hunc solum. Non posset quidem prædicta causa finalis, ita bene ordinari, si complures Deus creasset mundos: quoniam non ita bene ordinaretur, si Christus non esset caput, & finis omnium creaturarũ, seu si Christo non subordinarentur, & proportionarentur omnia creata; (vt apparebit ex denodatione tex. 2.) quod quidem esset, si complures Deus creasset mundos: quilibet enim mundus deberet proprium, & peculiare habere caput, & finem suæ proportionis; alioquin vnus iam non esset ab alio diversus. Pluralitas etiam mundorum est contra vnitatem Divinam, quæ est Deo ratio, vt mundum producat vnum; & ponat in ipso caput vnum, & finem totius proportionis creatæ; & vnam materiam primam physicé indivisam in omnibus corporibus: sed audi Doctorem in quæstionibus ad Magist. Paris. Thomam Attrabat. quæst. 44. vbi quærit, *quæ fuit necessitas sic creare mundum.* Et solvit sic: *Deus est in se vnus, & quia est vnus, creavit vnum mundum, & non plures; ad significandum, quód ipse est vnus solus Deus, & non plures Dii: & quia est infinitus, creavit Cælum rotundum; cum circulus sit infinitu : & quia Deus habet in se plures personas Divinas, creavit in mundo plures res: & quia est æternus, creavit Cælum incorruptibile; & quia est bonus, creavit bonitatẽ; & quia est magnus, creavit magnitudinem; & quia est æternus, creavit æviternum; & sic de aliis. Item quia sua*

bonitas

bonitas est vna, & in distinctis personis Divinis existit, creavit plures bonitates; & sic de aliis: & quia ipse Deus est vnus ex pluribus personis Divinis, voluit quód ex pluribus esset vnum, sicut vnus homo, vna arbor, qui ex pluribus sunt constituti; & sic de aliis. Item diversificavit bonitates, magnitudines, &c. in generibus, & speciebus, & individuis: & quia in Deo est concordantia, quæ consistit in distinctione Divinarum personarum, posuit concordantiam creatã in rebus distinctis: & quia in Deo non est contrarietas, creavit contrarietatem; vt per ipsam esset cognitus; cum simile cum suo simili, & cum dissimili magis cognosci possit. Item cum Deus Pater sit principium Dei Filii, creavit principia generalia huius mundi, quæ sunt bonitas, magnitudo, &c. & creavit principium generans generativum, & generabile, & generare: & quia Deus Pater, & Deus Filius se coniungunt per Spiritum Sanctum, creavit medium, per quod principium, & finis se coniungere possint: & quia Deus est finis, creavit plures fines. Item cum Deus Pater sit bonus formaliter, magnus, æternus, &c. generat Filium formaliter bonum; vt Pater sit bonus per bonum agere, facit se bonum in producendo Filium: & ideo creavit Deus formaliter, & naturaliter bonum hominem: & quia Deus Pater se facit bonum, disponit homini virtutes morales, per quas se possit facere bonum, & sic de sole naturaliter, qui formaliter est bonus; & effectivé in faciendo bonum, facit se bonum; & sic de consimilibus istis. Item quia Deus est multum intelligibilis, recolibilis, & amabilis, creavit Angelos, &

ciparet cum omnibus creaturis: quoniam cauſa plus diligit ſuum effectum, ſi vult cauſare ipſum, & eſſe ipſum, & participare naturaliter cum ipſo; quam cauſare effectum, & non velle ipſum eſſe, nec velle participare naturaliter cum ipſo: & ideo creavit Deus omnia ad ipſum Chriſtum benedictũ; & ad ipſum omnia creata proportionata ſunt in quantum homo eſt; & in Chriſto entia ſpiritualia, & corporalia quieſcunt reſpectu finis vltimi; excludo tamen damnatos. Iterum mundus eſt in ita perverſo ſtatu; quia paſtores non bene cuſtodiunt oves ſuas; & quia quaſi omnes homines deviant ab illo fine, ad quem creati ſunt, & tendunt ad finem contrarium.

Et in lib. natal. pueri parv. Ieſu cap. 20. Divina voluntas ait: *Volui, & ab æterno diſpoſui, vt tantũ eſſet vnicum vniverſum; vt ordo, & proportio eorum, quæ in eo ſunt ſalvaretur; & vt eſſet in genere ſuo perfectiſsimum.*

Inſuper neq; in mundo ponere aliquas alias creaturas poſsibiles, eſſet melius intenſivé, & formaliter, ſed ſi vis, extenſivé, & materialiter; ſolum enim eſſet repetitio æqualis perfectionis: ad melius autem extẽſivé tantum, & materialiter Deus moraliter non neceſsitatur: quoniam, vt ſua ſapientia, & prudentia hoc faciat, non habet ſufficientem occaſionem, rationem; & motivum, quod requiritur, vt maior rationabilitas detur; ac ſubinde Deus moraliter neceſsitetur.

Nec Divina voluntas diligit, vt ait Doctor in arb. Chriſt Cap. de flor. *quód poteſtas multiplicare poſsit gradus creaturarum contra ordinem, & proportionem, in*

quibus oportet, quód sint ordinati sub fine, qui est superior, qui est truncus huius arboris, videlicet Christus.

Dices deinde: si Deus moraliter necessitaretur ad rationabilius, seu nō posset sua ordinata potentia minús rationabile facere; talis potentia parva, & imperfecta foret: igitur.

Respondet Doctor in 1. contempl. dist. 6. cap. 18. his verbis: *Tua, Domine, magna potestas* (intellige totū textum de potestate ordinata) *creare, & facere potest quicquid voluntas velit, dum detur ratio, vt creari, aut fieri debeat: quapropter gloriosa, & mirabilis est tua potestas, quæ supra res esse orbatas est potens, in hoc quód potest illis dare esse, dum rectitudo, & ratio detur, vt debeat illis dare secundum gloriam, & honorem tuæ essentiæ benedictæ. Excellens Divina potestas multum ostenditur magnæ virtutis, & nobilitatis, quoniam omnia, dum occasionem habeat, creare, & facere potest. Et si tua, Domine, omnipotentia aliquid absque occasione, id est ratione non potest creare, nec facere; hoc propter in te minor non est potestas; imo si aliquid sine ratione facere posses, sequeretur, quód esses in potestate deficiens, in hoc, quód errare posses. Vnde cum intelligamus, quod tua potestas aliquid non potest sine ratione facere, illam intelligimus plenissimam, virtuosissimam, nobilissimam, & summam: non possumus enim intelligere secundum rationem in tua potestate sapientiæ, nec virtutis bonitatis deffectum: vnde propterea intelligimus, quód tua voluntas aliquid extra rationem non vult; nec potestas tua aliquid facit contra*

tra rationem: quoniam quidquid vis potes; & quidquid potes vis.

Et infra: *Potestas Divina facere potest quidquid voluntas velit, dum occasio detur, & ratio, vt fieri debeat secundum ordinationem tuæ bonitatis, & sapientiæ. Et si tuæ, Domine, plenæ potestati impossibilitatem attribuimus, in hoc quod dicimus, te non habere potestatem aliquid faciendi contra rationem, & occasionem: non in te, nec in potestate tua, si hanc tibi impossibilitatem attribuimus, vitium est; nam certè hæc non est impossibilitas; imò plenitudo potestatis, sapientiæ, & virtutis.* Ac inde ait in 1. sent quæst. 36. quod *tale non posse non est ens reale; sed intentionale in humano intellectu, qui facit ipsum;* sed de hoc in sequentibus.

Dices insuper: Deus potest potestate ordinata minùs rationabile facere, vt salvare Iudam, & damnare Petrum: igitur. Antecedens probabit Eremita in 1. sent. quæst. 36. sic dicens: *Impossibile est, quòd conditio finita impedire possit, vel limitare infinitam: sed possibile esset, si Deus non posset salvare Iudam, & damnare Petrum: vnde cum Divina potestas sit infinita, habens vnā infinitatem cum voluntate, potest agere ad placitum de Petro, & de Iuda; sicut voluntas de ipsis vult ad placitū: potest ergo voluntas eligere de ipsis vtrumque; vt in eligendo non sit impedita: & per consequens potestas perficere potest, cum sit idem cum voluntate.*

Respondet Doctor: *sicut Divina potestas non potest aliquid facere sine bonitate, magnitudine, &c. sic per*

consequens Divina voluntas non potest velle aliquid sine bonitate, magnitudine, &c. & hæc responsio sufficit ad solvendum tuam obiectionem secundum modum, quem supra diximus: dixerat enim; *sicut Deus non potest aliquid sine potestate; sic aliquid facere non potest sine bonitate, magnitudine, æternitate, &c. alioquin in suo agere esset actus potestatis, scilicet posse, & non actus bonitatis, qui est bonificare; nec actus magnitudinis, qui est magnificare; & sic de durare, qui est actus æternitatis; & sic de intelligere, amare, &c. quod est impossibile: ergo Deus Petrum damnare non potest, & salvare Iudam per suum posse tantum; nec per alios actus supradictos; non per bonificare, cum Petrus sit bonus, & Iudas malus: quia esset malificare, contra bonificare; cum malum esset, facere bonum malo, & malum bono, in quo malificare non posset esse magnificare bonum, sed malum; neque amare, sed odire; neque iustificare, sed iniuriari; & sic de aliis: vnde sequitur, quod Deus Petrum damnare non potest, neque salvare Iudam. Et tale non posse non est ens reale; sed intentionale in humano intellectu, qui facit ipsum; cũ Deus sicut non diligit salvare Iudam, & damnare Petrum; sic non intelligit damnare Petrũ, & salvare Iudã.* Et quæst. 33. dixerat: *Deus prædestinavit Beatum Petrum sic cum bonis quæ fecit, & ratione meritorum illorum bonorum; sicut calefacit calefactum cum Sole, & cum igne: & hoc sic oportet esse ratione Divinæ ordinationis iustitiæ, & sic de aliis suis attributis: etiam ratione liberi arbitrii Beati Petri, & suæ iustitiæ, prudentiæ, &c. alioquin si Petrus*

prædes-

prædestinatus esset immediatè, secundum modum, per quē Deus agit in creatis immediatè; prædestinatus esset sine iustitia, & ordinatione: & idem suo modo de Iuda sequeretur, qui immediatè esset præscitus sine iniuria sua, & sine merito suorum vitiorum; quod falsum est, & impossibile secundum Divinam bonitatem, magnitudinem, &c.

Hinc patet, vt ait P. Marçal in summa Lull. resol. 36. lib. 1. sent. *Potestatem Divinam solummodo quasi alligari per se ipsam, ratione idemtitatis, quam habet cum cæteris dignitatibus: ideó rectè concluditur per æquiparantiam, quod stante actu bonitatis Divinæ in Petro per gratiam, debet etiam stare actus potestatis, actui bonitatis conformis; ac proinde non potest stare eius oppositum, ne sequatur contradictio: ergo non potest Deus, stante bonitate Petri, damnare Petrum: non quod impediatur per bonitatem Petri; sed quia per se ipsam determinatur ad oppositum. Similiter stante malicia Iudæ; ac proinde privatione actus bonitatis Divinæ in ipso Iuda, non potest Deus salvare Iudam: non quod conditio Iudæ impediat potestatem Dei; sed quia per se ipsam determinata est potestas Divina ad oppositum. Cæterùm, quia istud non posse, quamvis verum sit, solùm est intentionale, & per respectum ad intellectum nostrum; ideo secundum diversam cōsiderationem intellectus, diversimodè de illo faciendum est iudicium: considerata ergo potestate Divina per respectum ad bonitatem Petri creatam, iudicat intellectus, Deum absolvi ab omni debito, ac subinde etiam in sensu composito posse damnare Petrum: considerata vero eadē potestate*

per respectum ad bonitatem Dei operantem in Petro, iudicat intellectus, Deum teneri servare sibi debitum; ac proinde non posse damnare Petrum.

Etiam dices: Si Deus non posset minús rationabile facere potestate ordinata: eo esset, quia hac potentia nequit habere actum sibi indebitum, seu improportionatum: atqui nec potentia absoluta potest Deus actum sibi indebitum, seu improportionatum habere; quia nulla potentia Deus potest habere defectum: & tamen potestate absoluta potest minús rationabile facere: igitur & poterit potestate ordinata.

Solutio: concedo, Deum nulla potentia posse habere defectum, neque actum sibi indebitum, seu improportionatum: nego tamen, quód posse minús rationabile facere sit indebitum, seu improportionatū Deo secundum posse absolutum: licet indebitum, & improportionatum sit secundum posse ordinatum, & regulatum per magnitudinem perfectionum Divinarū, quo non potest Deus minús rationabile facere.

Quód id ipsum posse facere non sit Deo indebitū, & improportionatum secundum posse absolutum, patet; quia hoc posse consideratur solum, vt posse infinitum, quod vt ait Doctor in lib. de mirabilibus lib. 8 cap. 107. *absoluté potest facere omnia; eo quod sit infinitum*: & consideratur vt absolutum, seu vt præscindit á bonitate, magnitudine, sapientia, rectitudine, &c. & sic id quod potest, respectivé ad tale posse, non dicitur melius, neque non melius; maius, neque non

maius

maius; rationabilius, neque non rationabilius; rectius, neque non rectius, &c. Etiam quód tale posse, vt videbitur in sequentibus ex Doctore, & P. Marçal, *respiciat actum est solum secundum rationem nostram*, & *intentionaliter*: ac proinde dicitur Deus potentia absoluta potens omnia; nõ quia formaliter possit, & per respectum ad extra; sed quia eminenter potest, & tale posse est infinitum.

Item dices: Deus potestate saltem absoluta potest velle, & facere contra id, quod rationabilius est: igitur non necessitatur moraliter ad rationabilius: quoniam necessitas ad aliquid stare nequit cũ posse ad oppositũ.

Solutio: concedit Doctor in lib. 5. sapient. loco cit. *quód illa potest Deus, cum consideratur eius potestas absoluta, in qua sapientia habet scire absolutum; & hoc vult absoluta voluntas, scilicet quód potestas possit, & sapientia sciat illa posse producere, habens in ipsis velle absolutum*. Sed addit quód *ipso modo considerando ipsas dignitates, non oportet, quód respondeant eis effectus exteriores in actu*; seu quod ipsæ dignitates respiciant actũ: quamvis enim plura minús rationabilia ex terminis non repugnent; tamen ideata non sunt, nec possibilia formaliter per respectum ad extra, seu possibilitate positiva intentionali Dei; sed intellectus solũ humani; vt docet Doctor in 1. sent. quæst. 33. sic dicens: *sicut non decet dicere, omnis homo est mortalis, aut immortalis: sic non est licitum dicere, quod Deus*, exempli gratia, *sciat Petrum prædestinatum esse, aut præscitum; cum Deus*

aliquid indistinctè non consideret: sed sufficiat sibi considerare vnam partem propositionis distinctè, & determinatè; cum illa pars, quæ est falsa, esset superflua in consideratione sua: & sic quando Beatum Petrũ prædestinavit secundum modum mediatum, hoc est cum meritis, *non curavit Deus, quód Petrus damnari posset, postquam sciebat ipsum prædestinatum: sed solùs homo, dum est in via, considerare potest, quód sit prædestinatus, aut præscitus; & hoc considerare potest, quia suam salvationem, aut suam damnationem ignorat.* Et in arb. quæst. de quæst. flor. arb. Iesu Christi cap. de potestate quærit Eremita; *sapientia Dei, quæ scit, quód potestas possit de me facere Papam: sequitur propter hoc, quod de me Papam faciet?* Et sic solvit Doctor; *sapientia Dei non considerat aliquam ideam superfluam; vt in considerare suo non sit vacuitas finis.* Et cap. de sapientia quærit; *sicut sapientia Dei non considerat, quod Martynus possit esse Papa, postquam non erit Papa; ita forté non considerat maiorem maioritatem scibilitatis creatæ?* Et sic solvit Doctor; *causa, quare sapientia Dei non considerat, quod Martinus possit esse Papa, postquam non erit Papa; est quia ex illo considerare non sequeretur aliquis finis: sed si sapientia Dei non consideraret maiorem maioritatẽ intelligibilitatis, quæ creari potest; nõ se extenderet tantum sua scitivitas in suo proprio obiecto, quod est scibilitas; sicut faceret Divina possitivitas in suo propria obiecto, quod est possibilitas.* Etiã P. Marçal in summa Lull. resol. 36. lib. 1. sent. notat ex Doctore in comp. Art. demonstr. dist. 1. part. 3.

fug.

fig. alphab. *quód cum in Deo dignitates omnes sint idem realiter, nihil sapientia scit, nec potest potestas, nisi quod voluntas liberé vult: & hoc petit realitas dignitatum: quare secundum rationem tantum nostram est, quod possit potestas*, exempli gratia, *mundum anihilare, postquam sapientia duraturum scit in æternum, sicut voluntas vult. Hinc dicendum est*, inquit, *potentiam absolutam in Deo, quæ vt præscindit á sapientia, voluntate, & aliis, respiciat actum, esse solum secundum rationem nostram, & intentionaliter.* Vnde consequitur, quód prædictũ posse potestatis absolutæ bené stat cum necessitate morali.

Sed dices: potentia absoluta est solum intentionalis, & per rationem nostram? igitur sola potentia ordinata est realis in Deo: sed Deus potentia ordinata non potest non facere rationabilius: ergo realiter Deus non potest non facere rationabilius: ergo physicé necessitatur id ipsum facere, & ad vnum modũ operandi; & non liberé indifferenter operatur; nec quæ ad extra sunt, contingentia sunt.

Ad solutionem notandum, quód inspiciens Deus suam omnipotentiam, & infinitam producendi virtutem, quatenus intra ipsam erant creaturæ possibiles eminenter duntaxat, seu virtualiter: licet foret convenientissimum, quód sese agnosceret formaliter cõmunicativum ad extra, seu agnosceret creaturas possibiles secundum esse formale, & per respectum ad extra, seu ideatas, & possibiles possibilitate positiva intentionali Dei: (non est enim in Doctoris sententia,

 ante

ante actum Divini intellectus formalis, seu positivā possibilitas creaturarum) vt tamen hanc ipsam possibilitatem creaturis concederet, seu suo intellectu obiectaret; fuit indifferenter liber, (libertatem namque habet intellectus, in Lulliana schola) & talis possibilitas contingens; poterat moraliter Deus hanc ipsam possibilitatem creaturis denegare; & hæc possibilitas poterat moraliter non esse; convenientissimum erat; Deum hanc possibilitatem concedere; non moraliter necessarium, nec infallibile.

Sed posito actu intellectus Divini indifferenter libero, cognoscente Deum formaliter communicativum ad extra, seu dante formalem, & positivam possibilitatem creaturis; necessitatur Deus moraliter ad melius, maius, & rationabilius; est moraliter impotēs id ipsum non facere, seu infallibiliter facit: quia stante actu vnius perfectionis, vt sapientiæ; debent infallibiliter omnes perfectiones simul, & in eodem signo illum suis actibus comitari, & æqualiter, & concorditer operari secundū proprias exigentias ratione summæ idemtitatis, vt asserit P. Marçal in summa Lull. resol 99. lib. 3. sent. *posito enim actu*, inquit, *vnius dignitatis necessariò ponuntur alii ratione idemtitatis dignitatum*. Et Doctor quæst. 36 lib. 1. sent. ait: *sicut Deus non potest aliquid sine potestate; sic aliquid facere non potest sine bonitate, magnitudine, &c.* Et sic stante actu sapientiæ circa esse possibile per respectú ad extra; stat ipsa sapientia sapienter id ipsum cognoscens ratio-

rationabilius: quoniam *sapientia Dei non intelligit aliquod bonum esse producibile extra ordinem, & dispositionem productionis*, vt ait in arb. quæst. Et simul stat actus voluntatis omni posibili per respectum ad extra tribuens esse futurum, seu decernens determinatū tempus, in quo debet existere: quia *voluntas tantum diligit creaturam, sicut ipsam intelligit sapientia*, vt inquit in arb. Christ. cap. de flor. & *diligit voluntas omne bonum, quod scit sapientia, & illud diligit secundum possibilitatem bonæ amabilitatis*, vt dicit ibidem. Et stantibus actibus intellectus, & voluntatis, stat actus bonitatis; & ita *bonitas Dei est ratio eius sapientiæ, cum qua est vnum idem numero, quód bonum, magnum, durabile, & possificatum intelligat: quod sapientia intelligit, vt sua ratio, & ratio bonitatis, magnitudinis, æternitatis, & potestatis concordantiam habeant*, vt inquit ibidem. Etiam *bonitas Dei, & eius voluntas sunt vnū idem numero, & bonitas est ratio voluntati, quód diligat productum creatum in tantum, quantum ipsa potest esse ratio bono, quód magnum bonum producat, & ita magnū, sicut illud potest producere*, vt ait ibidē. Stat etiam actus magnitudinis; & sic *magnitudo est ratio sapientiæ, quód sciat magnam creationem, ita magnam, quód maiorem scire non posit: quia si maiorem scire posset, haberet potestas maiorem concordantiam cum sapientia, quam magnitudo, quæ siquidem magnitudo concordantiam cum paruitate sciendi haberet, & cum magnitudine potestatis, quæ concordantia est imposibilis*, vt ait ibidem. Et in

arb. quæst. quærit: *esset magnus actus sapientiæ, scire maius magnificare creaturæ in potentia, & minus quam illud in actu?* & solvit: *nullum magnificare est adeó magnum in potentia, sicut in actu secundum naturam magnitudinis.* Etiam *Divina magnitudo est ratio Divinæ voluntati, quód magnam creaturam diligat; & ita magnam, quód maiorem diligere non possit: quoniam si maiorem diligere posset, & ipsam non diligeret; magnitudo non esset ratio voluntati, quód maiorem creaturã diligeret; & esset ei ratio parvitatis: quæ siquidem ratio amabilis nõ est per voluntatem, nec possibilis per potestatem,* vt ait in arb. Christ. loc. cit & *ad voluntatem Divinam spectat meliús amare magnum bonum, quam minus,* vt ait ibidem. *Et si arguatur,* inquit ibidem, *quód Deus parvas creaturas producit, in quantum producit pomum, equum, & gruem, &c. Respondendum est, quód Deus ipsas parvas creaturas producit ad servitutem, & vsum magnarum: & magnas creaturas producit, quæ sunt homines, ad servitium maioris creaturæ, quæ est truncus huius arboris,* scilicet natura humana Christi. Stat & actus maioritatis, ratione cuius *sapientia tantum intelligere nõ potest bonitatem in minoritate, sicut in maioritate: cum ita sit, quód quantó bonitas est maior, tantó est intelligibilior, quam minor,* vt inquit ibidem: & *ad maiorem scitivitatem spectat maior scibilitas.* Et in arb. quæst. quærit: *Divina voluntas potest plus amare minorem intelligibilitatem, quam maiorem?* & solvit: *quia Divina sapientia est magna, & non parva; se meliús habet secundum suam*

naturam

naturam ad intelligendum magna, quam parva, & maius bonum, quam minus. Ac subinde quia Divina voluntas est magna, & non parva; se meliús habet secundum suam naturam ad diligendum magna, quam parva, & maius bonum, quam minus: quia, vt dicit in arb. Christ. loc. cit. *sicut maior amabilitas creaturæ est magis amabilis, quam minor; ita maior scibilitas creaturæ est magis amabilis, quam minor: & idem est de maiori bonificabilitate creata.* Etiam stat actus virtutis, ratione cuius *omne illud, quod scit sapientia Dei scit virtuose*, vt ait ibidem. Et vt dicit in arb. quæst. *secundum naturam Divinæ sapientiæ, & virtutis meliús competit Divinæ sapientiæ scire magnum obiectum virtuosum, quam parvũ.* Et idem est de voluntate; ait enim ibidẽ: *cum Divina voluntas sit magna, & non parva; vitium foret ei, si plus parvam virtutem diligeret, quam magnã.* Stat & actus veritatis; & *spectat ad Deum meliús scire magnam veritatem, quam parvam*, vt ait in arb. Christ. loc. cit. hoc tamen non est secundum naturam veritatis; sed secundum naturã magnitudinis; inquit enim in arb. quæst. *secundum naturam veritatis tantum pertinet ad Deum scire vnam veritatem, sicut aliam: sed quia sapientia Dei est magna, & non parva; melius pertinet ad eã scire magnam veritatem, quam parvam.* Et idem est de voluntate; dicit enim ibidem: *quia Divina voluntas est magna, & non parva; secundum naturam magnitudinis suæ; tantũ non potest amare parvam veritatẽ, sicut magnã.* Stat quoque actus æternitatis; & sic producit Deus

creaturas multúm durabiles: (non producit æternas, quia æternitas creaturæ repugnat, vt apparebit ex denodatione tex. 19.) & *quia est æternus, creavit Cælum incorruptibile*, vt ait Doctor in quæst. ad Magistr. Paril. Thomam Attrabat. quæst. 44. etiam *quia est æternus, creavit æviternum*, vt inquit ibidem. Item æternitas est ratio sapientiæ, vt sciat, & voluntati, vt diligat maiorem actum æternitatis ad extra, videlicet creaturam vnitam cum æternitate in vnitate suppositi; & ita ait Doctor in arb. Christ. loc. cit. *voluntas tantum diligit creaturam, sicut ipsam intelligit sapientia: & sapientia plus ipsam intelligit in magnitudine bonitatis, si ipsam intelligit vnitam cũ æternitate: vult ergo voluntas, quód perficiatur hoc, quod sapientia plus intelligit de creatura in magnitudine bonitatis.* Et in arb. quæst. ait: *maior actus, quem sapientia scire potest de æternitate in creatura, est, quód sciat vnam personam de æternitate, & creatura.* Deinde quærit: *est tantum necessarius actus æternitatis in creando, sicut actus Divinæ voluntatis?* & solvit: *si æternare non esset ita magnus actus in creando, sicut actus Divinæ voluntatis, qui est amare: Divina æternitas esset ociosa in creatura sua.* Stant & cæteri actus dignitatum secundum earum proprias exigentias, perfectionis plenitudinem, & magnitudinem rectitudinis. Et dignitates omnes Divinæ essent Deo rationes producendi infinitum ad extra; si id ipsum creaturæ non repugnaret, vt docet Doctor in Arte magna part. 9. sect. 1. de Deo cap. 5. art. 2. dicens: *cum Deus se*

cognoscit sic magnum, & infinitum existendo, & agendo; se cognoscit benè ordinatum, & dispositum ad producendū creatum magnum; & hoc in tantum, quòd produceret ens creatum infinitum, si creatum esset capax ad recipiendum magnitudinem infinitam; sicut ignis, qui si haberet copiā lignorum, magnificaret, & multiplicaret suam flammam vsque ad spheram Lunæ. Et sic Deus cravit magnum creatum, sicut Cælum, Angelum, & Animam rationalem, & similiter alias creaturas, quæ de magnitudine sunt habituatæ. Et in isto passu cognoscit intellectus humanus vnū magnum ens creatum, quod est maius, quam omnes creaturæ, videlicet natura humana Christi. Et in lib. Natal. Pueri parv. Iesu cap. 18. ait Divina potestas: *illi pietatem nesciunt, qui idcirco meæ virtuti limitem, terminumq; statuunt; quia infinitum non producam: in me autem infinitum produco; sed extra me nihil tale produco: non ex mea quidem impotentia, sed quia id ipsum effectui repugnat: quo pacto enim extra me esse posit infinitum ens, infinitum bonum, infinitum verum, & infinitum potens, & immēsum? & id insuper meæ adversatur singularitati. Idcirco omne creatum, quatenus creatum est, terminari, finirique necesse est.* Et cap. 17. inquit Divina æternitas: *exvberante mea fæcunditate, extra me fundo, & pro rerū capacitate me communico, intimam actionem nunquam deferens: nam nihil quod extra sit meum vigorē ex integro suscipere potest.* Et cap. 21. dicit Divina virtus: *sicut sum infinita agendo intrinsecùs; sic essem & exteriùs producēdo; nisi infinitas creaturæ penitùs repugnaret: produxi*

tamen effectum nobilissimũ, parvũ quẽ videtis infantulũ. Denique potestatis actu perficit Deus id quod sapientia sciebat, & voluntas diligebat, ita in magnitudine bonitatis; sicuti Dei effectus hanc ipsam recipere potest: quoniam *illa causa, quæ suo effectui non dat cõplementum ita magnum; sicut effectus recipere potest, est viciosa*; vt ait in arb. quæst. quo notato.

Solutio: concedit Doctor, quód potentia absoluta á cæteris dignitatibus Dei est solum intentionalis, & per operationem nostri intellectus transcendentis limites veritatis realis: licet enim Divina potestas realiter sit infinita, & quia infinita realiter omnia posit: vt tamen respiciat actum, seu posit realiter poni in actu, requirit, quód sit ordinata, & regulata per magnitudinem bonitatis, sapientiæ, &c. *non enim potest Deus aliquid realiter operari, quin dignitates omnes concurrãt ad effectum*, vt inquit P. Marçal in certam. dialect. part. 3. confer. 8. ac proinde est impotens Deus realiter non facere, seu realiter quidquid melius, quidquid maius, quidquid rationabilius est facere necessitatur, seu infallibiliter facit: hoc tamen non est ante actum Dei ad extra indifferenter liberum, absoluté, & in sensu diviso; sed est postquam ponitur actus intellectus, & actus voluntatis indifferenter liberi, ex hypothesi, & in sensu composito: quoniã si ponitur actus intellectus, debet etiam poni actus voluntatis, & cæteri actus dignitatum; & é converso, si ponitur actus voluntatis, debet etiã poni actus intellectus, & cæteri

actus

ãctus dignitatum, ratione summæ idemtitatis; & debent omnes dignitates æqualiter, & concorditer operari secundum proprias exigentias; & secundum capacitatem, & termini dispositionem: & ideo Deus nõ est physicé impotens aliquid non facere ad extra; nõ physicé necessitatur, nec naturaliter; ex naturæ suæ necessitate nec est determinatus ad operandum, nec ad vnum modum operandi ad extra: principiũ enim physicum, & naturale ex naturæ suæ necessitate determinatum ad vnum, non expectat actum indifferenter liberum, vt sit necessitatum, seu determinatũ ad illud, ac proinde tantummodo est Deus moraliter impotens non facere, seu moraliter solũ necessitatur facere melius, maius, & rationabilius.

Sed dices: necessitas prædicta venit ex plenitudine perfectionis dignitatum, quæ plenitudo in Deo physica est, & naturalis: igitur prædicta necessitas erit physica, & naturalis; quia eo pacto, quo plenitudo perfectionis est in operante, incitat illud. Itẽ plenitudo perfectionis dignitatum est quid intrinsecum Deo, ipsum determinans ad vnum modum operandi videlicet ad melius, & rationabilius; atqui principium ex intrinseca ratione determinatum ad vnum, non est indifferenter liberũ ad illud: igitur.

Solutio: concedo plenitudinem perfectionis dignitatum esse quid physicum, & naturale in Deo, quoad esse; quoad agere autem, licet ad intra physica, & naturalis sit; non tamen ad extra: cũ expectet actum

intellectus, & actū voluntatis indifferēter liberos, qui quoad extra sunt primaria ratio, & principalis determinativa ad operandum: ac subinde, quamvis plenitudo perfectionis dignitatum sit quid intrinsecum Deo, illum determinans ad vnum modum operandi: quia tamen non deteminat tanquam primaria ratio operandi; sed supponit, vel comitatúr actum indifferenter liberum, tanquam primariam rationem operandi ad extra: ideo plenitudo dicta non physicé necessitat ad extra; sed solum moraliter; & Deus liberé indifferenter operatur ad extra, & omnia ad extra sunt contingentia.

Moralem necessitatem non derogare de Divina libertate ab intrinseco indifferenti, docet P. Marçal in Art. brevi epist. ad Lectorem pag. 15. dicens: *neque exigentia prædicta derogat physicæ potentiæ Dei absoluté, & simpliciter liberæ: sed ostendit summam eius rectitudinem, atque idemtitatem Divinarum dignitatum, quibus omnibus concurrentibus, Deus altissimo suo concilio creata omnia condidit modo sibi condecenti.*

Patet etiam á simili; posito enim, quód sapientia Divina sciebat, & voluntas decernebat, Deū condere mundum, & non creare complures; moraliter non poterat Deus, ratione immutabilitatis suæ sapientiæ, & voluntatis, complures mundos creare, nec poterat non creare vnum; seu necessitabatur moraliter vnum creare, & non complures; & tamen liberé condidit vnum mundum; & nō complures, ac mundus

est

est contingenter creatus: & hoc est, vt ait Doctor in lib. de mirabilibus lib. 8. cap. 107. quia *illud non posse est quoad Divinam sapientiam, & voluntatem*, hoc est ex hypothesi quód sapientia sciat, & voluntas decernat, & in sensu composito cum actu immutabili sapientiæ, & voluntatis; *non autem quoad se ipsum*; id est absoluté, & in sensu divisó ab actu sapientiæ, & voluntatis: *& hoc propter*, inquit, *oportet, quód quisque credat, & affirmet, quód Deus potest quoad posse absolutũ*, seu in sensu diviso; *& quod non potest quoad posse ordinatum Divina sapientia, & voluntate*, seu in sensu cõposito cum ipsis. *Et ex hoc non sequitur contradictio: si enim contradictio sequeretur, esset defectus in Dei potẽtia, aut in eius sapientia, & voluntate, qui defectus est impossibilis.* Et ita, vt subdit, *Deus potest facere hoc, quod sapientia scit, Deum non esse facturum; & hoc quod volũtas non vult fieri: & hoc est affirmandum; eo quod in posse divino est bonitas, magnitudo, & libertas. Et si hoc, quod in tempore facit, solum facere posset, & non aliud, limitatum esset. & necessitatum hoc, quod sapientia scit, & hoc quod voluntas vult: & sic esset sapientia, & voluntas in maiori magnitudine, quam potentia, & in maiori nobilitate, & bonitati; quæ maioritas est impossibilis. Et si Deus posset facere hoc, quod sapientia scit ipsum facturũ non esse; & hoc quod voluntas vult non fieri: sequeretur, quód actus potestatis plus posset, aut in maiori esset magnitudine, quàm actus sapientiæ, & voluntatis; & esset magis nobile, & maius posse Dei, quam eius sapientia,*

& voluntas; quod est impossibile; propter quam impossibilitatem oportet, quód homo affirmet, Deum non posse ratione Divinæ sapientiæ, & voluntatis hoc, quod sapientia scit, Deum non esse facturum; & quod ex hoc nullum sequitur inconveniens, aut contradictio. Ac proinde sicut *oportet affirmare*, vt ait, *quód Deus potest facere hoc, quod nõ faciet; & quod nõ potest id ipsũ facere; postquã sapientia scit nõ esse faciendũ; & voluntas nõ vult quód fiat*; & é coverso, sicut oportet affirmare, quód Deus potest non facere hoc, quod faciet; & quod nõ potest id ipsum non facere, postquã sapientia scit, esse faciendũ; & voluntas vult, vt fiat; & quód necessitatur ratione actus immutabilis sapientiæ, & voluntatis; & quód liberé indifferenter operatur, absque contradictione: ita dicendum est, quod Deus potest non operari ad extra, & non operari rationabilius: & quod non potest id ipsum non facere, nec velle, postquam sapientia, & voluntas habent actum ad extra; & quód necessitatur ratione plenitudinis, seu magnitudinis Divinarum perfectionum, æqualiter, & concorditer operantium; & quód liberé indifferenter operatur, absque contradictione.

Aliud simile: licet Petrus ex hypothesi decreti efficacis de prædestinatione sua, ratione immutabilitatis decreti, infallibiliter salvetur, & vt compositus cum decreto non possit non salvari; quia tamen potest quoad se ipsum, absoluté, & in sensu diviso non salvari, & damnari: ideo contingenter, mutabiliter,

&

& libertate indifferentiæ salvatur, vt docet Doctor loc. cit. dicens: *sicut oportet affirmare, quód Deus potest facere hoc quod non faciet: & quód non potest id ipsum facere, postquam sapientia scit, non esse faciendum; & voluntas non vult quód fiat: sic est homo prædestinatus; eoquód sapientia scit, quod salvabitur: & simul, quod potest dãnari; eoquód Dei iustitia in illo conservat libertatem; & sic oportet dicere, quód omnis homo potest salvari, & potest damnari, sive sit prædestinatus, sive præscitus absque contradictione*: ita igitur &c.

Aliud simile: quamvis Deus, posito, quód promisetit æternam beatitudinem in gratia decedentibus, & in sensu composito cum promissione necessitetur illis dare beatitudinem; quia tamen absoluté & in sensu diviso potest non dare: ideo non physicé necessitatur, sed solum moraliter; & libertate indifferentiæ retribuit; ita igitur &c.

Aliud simile: licet homo supposito peccato originali, & in sensu composito, destitutus auxilio gratiæ, fuerit moraliter impotens cavere peccatum mortale: & præmunitus solis ordinariis auxiliis gratiæ, moraliter non possit perseverare sine veniali peccato; quia tamen hoc potest absoluté, & in sensu diviso: ideo nõ physicé necessitatur peccare; sed libertate indifferentiæ peccat: ita igitur &c.

Stet igitur, quód Deus ante omnem actum ad extra potuit potentia reali, quæ est bona, magna, &c. realiter non operari ad extra; non erat moraliter im-

potens nō facere; nō necessitabatur moraliter aliquid facere; nec erat determinatus ad vnum modum operandi. Stante vero actu ad extra indifferenter libero, sola potentia absoluta ab exigentia magnitudinis Divinarum dignitatum, quæ intentionalis est, & per rationem nostram, & non realiter reducibilis ad actum, potest non facere rationabilius; non potest potentia reali, per magnitudinem dignitatum regulata, realiter non facere; est moraliter impotens non facere; quidquid melius, quidquid maius, quidquid rationabilius est facere moraliter necessitatur, atque infallibiliter facit. Ac subinde salvatur indifferentia antecedens, quæ ad facultatē libertatis requiritur; non salvatur consequens, quæ non requiritur: salvatur indifferentia absoluta, quæ requiritur; non salvatur ex hypothesi, quæ non requiritur: salvatur indifferentia in sensu diviso, quæ requiritur; non salvatur in sensu composito, quæ non requiritur. Et sic necessitas in Deo ad melius, maius, ac rationabilius physica non est; sed rectè dicitur moralis; ac id ipsum non posse non facere potentia ordinata, atque regulata per magnitudinem dignitatum Divinarum minimè dicitur non posse nō facere physicé; sed rectè dicitur moraliter non posse non facere; physicé enim necessitari, seu physicé non posse non facere principii naturalis est, quód nō ex aliquo actu indifferenter libero; sed ex naturæ suæ necessitate est determinatum ad vnum.

Pro

Pro clariori intelligentia prædictorum, notandum ex Doctore in Arte magna part. 9 sect. 1. de Deo cap. 5. art. 4. quód *Deus cognoscit se intrinsecé cum potestate absoluta, & ordinata; sed extrinsecé cum potestate ordinata tantum*; id est cognoscit quód infinita potestas absoluté considerata infinitum potest ad intra, in qua sapientia habet scire absolutum, & hoc vult absoluta voluntas, scilicet quód potestas posit, ac sapientia sciat, illud posse producere, habens in ipsis velle absolutum. Et omne id, quod ad intra potest infinita potestas absoluté considerata, potest & ordinata, seu regulata per magnitudinem bonitatis, potestatis, sapientiæ, voluntatis, &c. ac subinde est in actu posita ad intra secundum omne id, quod absoluté potest. Ad extra vero licet infinita potestas absoluté considerata, & quoad se ipsam infinitum posit, & omnia posit; & in ipsa habeat sapientia scire absolutum, & hoc velit absoluta voluntas, scilicet quód potestas posit, & sapientia sciat illa posse producere, habens in ipsis velle absolutum; non tamen omne id, quod potest ad extra absoluté considerata, potest ordinata, seu regulata per magnitudinem bonitatis, potestatis, sapientiæ, voluntatis, & aliarum: nec in actu posita est ad extra, nec potest poni secundum omne id, quod absoluté potest; nequit enim excedere limites, quos præscribit rectitudo sapientiæ, magnitudo bonitatis, ac perfectionis plenitudo. Secundum autem omne id, quod ordinata potest ad extra in actu posita est: hoc propter

Deo dicit Doctor in 1. contempl. dist.6.cap. 18. *quidquid potes vis*; & in arb. Christ. cap. de flor. ait: *voluntas tantum diligit creaturam; sicut ipsam intelligit sapientia*; hoc est quidquid Deus potest ad extra potestate ordinata, ac quidquid intelligit Divina sapientia possibile ad extra secundum potestatatem ordinatã, vult Divina voluntas; & moraliter necessitatur id ipsum velle; postquam sapientia intelligit possibile per respectum ad extra.

Totam Doctoris sententiam confirmat V. M. Maria de Iesu de Agreda part. 1 lib. 1. cap. 4. sic dicens: *Conocio Dios sus Divinos atributos, y perfecciones con la propension, y inefable inclinacion á comunicarse fuera de si. Y este fue el primer conocimiento de ser Dios comunicativo ad extra.* Latinè, *agnovit Deus Divina sua attributa, & perfectiones cum propensione, ac inefabili inclinatione ad sese cõmunicandum ad extra. Et ista fuit prima cognitio de Deo communicativo ad extra.* Addit; *mirando su Alteza la condicion de sus infinitas perfecciones, la virtud, y eficacia que en si teniã para obrar magnificas obras; vio que tan summa bondad era convenientissimo en su equidad, y como devido, y forçoso comunicarse.* Latinè, *inspiciens Altissimus naturam infinitarum perfectionum, virtutem, & efficaciam, vt opera operarentur magnifica; in æquitate sua convenientissimum percepit, & vt debitum, & necessarium, bonitatem tam summam communicari.* Subdit: *todo esto miro Dios en aquel primer instante, despues de la comunicacion ad intra por las eternas emanaciones*

naciones. Y mirandolo se hallo como obligado de si mismo á comunicarse ad extra, conociendo ser santo, iusto, misericordioso, y piadoso el hazerlo. Latinè, *totum hoc inspexit Deus in illo primo signo post communicationem ad intra per æternas emanationes. Et hoc inspiciēs, sese introspexit, vt á se ipso obligatum, vt communicaretur ad extra, agnosnceus, quód hoc facere sanctum erat, iustum, benignum, & pium.* Et infra: *tambien era conveniente, y como necessario, si Dios queria criar muchas criaturas, que las criasse con armonia, y subordinacion, y que esta fuesse la mas admirable, y gloriosa, que pudiesse ser.* Latinè, *erat quoque conveniens, & vt necessarium, si complures vellet Deus producere creaturas, quód istas cum harmonia, & subordinatione crearet, & quód hæc esset mirabilior, & gloriosior, quæ esse posset.*

Et sic docet, quód Deus cognovit Divinas perfectiones cum inclinatione ad cōmunicationem ad extra, quæ inclinatió licet maximam convenientiam operationis ponat; sola tamen non infert moralem necessitatem in Deo, ipsum incitantem, & obligantem, vt infallibiliter operetur; sed expectat cognitionem de Deo formaliter communicativo ad extra: qua posita, & comitanti, inspiciens Deus suarum perfectionum naturam, virtutem, & efficaciam, vt opera operarentur magnifica, sese instrospexit vt á se ipso obligatum, vt debitum percepit, moraliter necessarium, & infallibile; bonitatem tam summam communicari; *distribuyendo,* como dize, *fuera de si con magni-*

ficencia la plenitud de sus infinitos tesoros. Latinè, *cum magnificentia ad extra distribuens infinitorū plenitudinē thesaurorum*: moraliter necessarium erat, ac infallibile, quód Deus vellet, & faceret ad extra quidquid rationabilius est in creaturis ponens pulchriorem, mirabiliorem, & magis gloriosam dispositionem, harmoniā, seu subordinationem, quæ in ipsis esse posset. *Y conforme á esto*, dize, *havian de tener vna, que fuesse cabeça, y suprema á todas, y quanto fuesse possible inmediata, y vnida con Dios; y que por ella pasassen todos, y llegassen á su Divinidad.* Latinè, *& secundum hoc habituræ erant vnam, quæ caput, & omnium suprema foret, & quantū possibile esset immediata, & Deo vnita, & per quam transirent omnes, & ad Divinitatem venirent.* Sed de hoc in denodat. tex. 2.

Confirmat etiam D. Syril. Alex. lib. 2. thesau. cap. 1. dicens: *quia Pater omnia potest, & meliora semper vult.* Et Concil. Francofor. epist. ad Episc. Hisp. tom. 3. *credimus Deum omnia velle, quæ meliora sunt.* D. August. lib. 3. de libero arbitr. cap. 5. *quidquid tibi melius cum ratione occurrerit, hoc scias Deum fecisse.* Et tom. 4. cap 6. lib. quæst. veteris, & novi testamenti: *potuit Deus cuncta facere simul; sed ratio prohibuit.* Et tom. 1. lib. de quantitate animæ cap. 33 *iustitia summi Dei factum esse vt non modo sint omnia, sed etiam sic sint, vt omninò melius esse non possint.*

Confirmat etiam P. Granado 1. part. in mater. de voluntate Dei tract. 2. disp. 3. *docet enim*, vt refert P. de

Lugo lib. de Incarnat. disp. 2. sect. 1. *Deũ semper velle id, quod optimum est in iis rebus, in quibus assignari potest optimum; quales sunt incarnatio, & eius negatio; prædestinatio, & non prædestinatio; creatio mundi, & eius carentia.* Addit; *in illo rerum genere, in quibus datur aliquod optimum, non solum facere Deum semper, quod optimum est; sed ad hoc faciendum, & volendum necessitari á sua nativa bonitate, ingenio, & propensione; ita vt moraliter non possit id non velle; licet habeat aliquam potentiam physicam, vel methaphysicam ad oppositũ faciendũ.* Confirmat quidem, quia admittit in Deo necessitatẽ moralem, illamque componit cum libertate ab intrinseco indifferenti, seu cum potentia ad oppositum. Differt tamen á Doctoris sententia, primó quia videtur velle Deum moraliter necessitatum ante vllum actum ad extra, absoluté, & in sensu diviso. Deinde quia admittit infinitum in potentia. Et tandem quia non tenet naturam Christi humanam esse creaturam omnium maximam, quod Doctor affirmat, vt videbitur in denodatione tex. 2.

TEXTVS II.

OMne illud, per quod dignitates Divinæ meliús, & perfectius ostendunt perfectiones suas, & similitudines, & quietantur in mundo, Deum facere est necessarium; cum iste sit nobilior finis, propter quem mundus, vel aliqua creatura possit creari: ad

ſi maioritas finis concordet negationi, & minoritas affirmationi, negatiuè concludendum eſt. Eſt autem maioritas finis, vt inqvit, *id quod eſt melius, & quod oportet eſſe neceſſarió melius: & conſiſtit duobus modis, ſcilicet ſecũdum proportionem, & ſecundum comparationem.* Maioritas finis ſecundum proportionem capitur á Doctore pro medio, quod eſt aptius, melius, vtilius, & magis proportionatum ad primam intentionem, ſeu finẽ aſſequendum. Maioritas autem finis ſecundum comparationem eſt ipſa prima intentio, ſeu finis.

Concludendum eſt igitur, quód Deus poſito actu ad extra indifferenter libero, moraliter neceſsitatur prima ſua intentione eligere nobiliſsimum, perfectiſſimum, & ſibi, ac ſuis dignitatibus debitum finem vltimum productionis ad extra, qualis eſt in ſummo gradu oſtenſio divitiarum gloriæ ſuæ, ſeu ſuarum perfectionum iuxta illud proverb. 16. *vniverſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Conſequenter moraliter tenetur eligere medium aptius, & magis proportionatum ad Divinas perfectiones perfectiſsimé, & in ſummo gradu oſtendendas, qualis eſt Incarnatio, ad quam omnes creaturæ proportionentur, & tanquam finem ordinentur, licet non vltimaté, iuxta illud Apoſtol. 1. ad Corinth 3. *omnia enim veſtra ſunt: vos autem Chriſti: Chriſtus autem Dei.* Quod totum docet Doctor in lib. diſp. Homer. cap. 2. vbi ait: *quando Deus voluit creare mundum, ſuus intellectus, qui infinitus eſt, ſcivit altiorem finem creationis mundi, quẽ ſcire*

potuit: & sua voluntas voluit ipsum finem, vt altitudo finis esset tantum per Divinam voluntatem, quantum per Divinum intellectum: & quia omne agens agit propter aliquem finem; sequitur quód intellectus, & voluntas obiectaverunt ipsum finem altiorem, quantum potuerunt obiectare; & quia altior finis fuit, qui esse potuit, videlicet quód Deus creasset mundũ, vt ipse fecisset se hominẽ, & homo esset Deus; vt finis primus increatus, & finis primus creatus essent coniuncti in Christo; vt totus mundus esset exaltatus per illam coniunctionem tantũ, quantũ posset exaltari, &c. Quo notato.

Dico: negat Doctor Deum necessitatum necessitate physica, & naturali ad Incarnationẽ. Negat etiã moraliter necessitatum ante vllum actum ad extra, absoluté, & in sensu diviso. Sed posito, & comitanti actu indifferenter libero intellectus, & voluntatis, de communicatione ad extra, ex hypothesi, & in sensu composito; potentia ordinata, & regulata per magnitudinem dignitatum Divinarum propugnat nõ posse non velle, moraliter non posse non velle, seu moraliter necessitari Incarnationem velle. Patet ex lib. de Deo, & Christo quæst. 9. vbi inquit: *Deus vult ipsum esse hominem liberé, & non necessarió: cum ita sit, quód si voluisset, homo factus non fuisset.* Et in lib. disp. Homer. cap. 2. ait: *non dico quod necessitas Incarnationis fuisset naturalis; sed quoad bene esse moraliter, & liberé intellecta, & considerata; sicut agens, quod liberé, & ad placitum causat suum effectum.* Et in 3. sent. quæst. 92.

tenet

tenet: *quando Deus mundum creavit de nihilo, mundus quoad se nullum ius, neque dignitatem habebat erga Deũ, quod ipsum creare debuisset: quia si fuisset, iam fuisset mundus aliquid: sed Deus per suam liberam voluntatem mundum creare voluit, & gratiam facere: Vnde sicut Deus voluit creare per voluntatem liberé, ita per suam bonitatem voluit liberé bonum creare, & sic de magnitudine, &c. Et quia sic voluit per eundem modum debuit postquã voluit; & postquam sua bonitas requirebat bonum producere, & sua magnitudo magnum, &c.* (En moralem necessitatem ex magnitudine, seu plenitudine perfectionis Divinarum Dignitatum, æqualiter, & concorditer operantium, ratione summæ idemtitatis, postquam Deus voluit creare, seu posito actu ad extra indifferẽter libero, ex hypothesi, & in sensu composito) *Et ideo secundum quod debuit creare quoad se ipsum, & quoad actus suarum dignitatum, debuit assumere naturã humanam; vt per illam assumptionẽ mundum exaltaret, & totum vniversum in maiori fine amabilitatis mundi, & bonificabilitatis, magnificabilitatis, &c, quam mundus recipere potuit, & Deus in novo esse perficere: & hoc fuit per vnionem Divinæ, & humanæ naturæ in Christo: alioquin Deus suum debitum non solveret sibi ipsi, & dignitatibus suis cum maioritate magnitudinis, bonitatis, &c. sed cum minoritate, quod est impossibile.* Constat quoque ex lib de disp. intellect. & fidei cap. de Incarnat. vbi arguit fides: *hoc quod Divina voluntas potuisset nolle non est necessarium, sed Divina voluntas potuisset*

nolle Incarnationẽ: ergo incarnatio non est necessaria; sed est contingens; eo quia Divina voluntas voluit ipsam esse. Respondet intellectus: *ratio mea stat, & non tua: quoniam scibilitas, & bonificabilitas, & magnificabilitas, &c. maioris similitudinis Divinæ bonitatis, & æternitatis causant Incarnationem, & Divina voluntas causat se ipsam ad volendum esse hoc quod est magis simile Divinæ Trinitati, & vnitati: etiam ad hoc, per quod ipsa, & aliæ dignitates possint habere maiores, & nobiliores actus in creaturis; qui effectus earum sunt.* Arguit iterum fides: *non valet, quia secundum te Divina voluntas esset causata, & necessitata ad volendum Incarnationem, & non posset ipsam nolle: vnde sequeretur, quod amitteret suam libertatem, & esset subdita: & populus Christianus non haberet ei grates de Incarnatione: & quia omnia ista sunt impossibilia, ratio tua non concludit.* Respondet intellectus: *quia dicis, quod Divina voluntas esset ligata, & necessitata: dico, quod ipsa necessitat se ipsam cum sua bonitate, magnitudine, &c. diligendo Incarnationem, vt Divina potestas non sit ligata; & Divina bonitas, magnitudo, &c. sint magis diffusivæ in effectum, & ab effectu magis recolibiles, diligibiles, intelligibiles, & laudabiles, & amabiles.* Et in arb. quæst. quærit Doctor: *cũ potestas Dei sit infinita, quid ipsam compellit, vt ipsa se cõmunicet per incarnationẽ?* & solvit: *iudex est liber in suo iudicare: & quia veritas est ei ratio, quod verum iudicium faciat; iudex se cogit cum ratione iustitiæ, & veritatis ad dandum veram sententiam contra falsitatem, & iniuriam.*

Quærit

Quærit iterum: *gloria Divina quomodo compellit potestatem Divinam ad possificandum Incarnationem?* Et solvit: *existente potestate ratione ad possificandum, & gloria ad gloriandum æqualiter in creare compellit Deus, vt ita loquar, se ipsum cum suis rationibus ad se incarnandum: sicut cum sua misericordia se cogit ad indulgendum.* Iterū quærit: *si Deus sit incarnatus de necessitate: requiritur quód sibi de Incarnatione regratietur?* & solvit: *Divinæ rationes non compellunt Deum; sed ipse illis respondet in agendo, secundum quod ipsæ ab ipso requirunt opus virtuosum, & non vitiosum.*

Neque sentit Doctor, Deum non posse non velle Incarnationem potentia ordinata secundum magnitudinem Divinarum dignitatum, & simul secundū legem præfixam naturæ: sed solummodo potentia ordinata, absoluta á lege præfixa naturæ. Manifestum est ex lib. disp. Homer. Sarr. part. 2 cap. 4. vbi ait Doctor: *quando dicis, quód nullum ens existens vnum infinitum potest coniungi cum vno homine finito, novo, & composito ex diversis essentiis, &c. verum dicis naturaliter; sed supra naturam falsum dicis: nam sicut charitas elevat hominem ad diligendum magis Deum, quam se ipsum; & proximum suum, sicut se ipsum: sic Divina natura potest elevare naturam humanam, ratione suæ potestatis infinitæ, vt homo sit in ipsa, & per ipsam Deus, & per suam naturam humanam remaneat homo; vt per naturam humanā Deus sit homo, ipso Deo remanente Deo per naturam Divinam.*

Et fundat Doctor Dei necessitatem moralem ad Incarnationem in summa Divinatum dignitatum idemtitate, ratione cuius, stante actu ad extra vnius perfectionis, vt sapientiæ, seu cognoscente sapientia Deum formaliter communicativum ad extra; infallibiliter debet voluntas suo actu actum sapientiæ comitari, & é converso; & stantibus actibus sapientiæ, ac voluntatis; debent infallibiliter stare cæteri actus dignitatum; & tunc dignitates omnes infallibiliter debẽt æqualiter, & concorditer secundum proprias exigentias operari: ac subinde stante actu sapientiæ indifferenter libero, sciente productionem ad extra, stare debet ipsa sapientia sciens, & obiectans, ratione bonitatis infinitæ, melius opus ad extra, qualis est natura humana assumpta á Deo in vnitate personæ, vt docet Doctor in arb. Christ. cap. de flor. dicens: *idcirco est significata Incarnatio benedicta, sine qua ratio sapientiæ rationi bonitatis non responderet.* Et ratione magnitudinis debet sapientia scire maius opus, qualis est ipsa natura, vt docet ibidem dicens: *est ergo magnitudo ratio sapientiæ Divinæ, quód sciat maiorem creaturam, quã scire potest; ratione cuius maioris creaturæ, quæ oportet sciri, oportet quod sit Incarnatio; ratione cuius sit maior creatura: quoniam si non esset Incarnatio, frustra sciret sapientia possibilitatem maioris creaturæ.* Et ratione æternitatis debet scire durabilius opus, qualis est ipsa natura, vt docet in arb. quæst. vbi quærit: *Divina sapientia quomodo scire potest maiorem actum æternitatis in*

creaturæ? & solvit: *maior actus, quem sapientia scire potest de æternitate in creatura, est quod sciat unam personam de æternitate, & creatura.* Et ratione virtutis debet scire opus magis virtuosum, qualis est ipsa natura, vt tenet in arb. Christ. loco cit. dicens: *est ergo Incarnatio; vt sapientia maiorem sciat virtutem, quæ possit esse de Deo in creatura, & de creatura in Deo; & si non sit Incarnatio; maior virtus Dei in creatura, & creatura in Deo non est scibilis virtuosé: & sequeretur, quód sapientia Dei melius esset conditionata in scire parvam virtutem, quam magnam, & minorem, quam maiorē: & esset ita conditionata; sicut sapientia Martyni, quæ propter hoc quod est parva, & de non esse producta, est melius conditionata ad sciendum parvam virtutem ignis, quā magnam Angeli.* Et ratione magnitudinis veritatis scire debet opus in veritate maius, qualis est ipsa natura, vt tenet ibidem dicens: *si non est Incarnatio; melius pertinet ad sapientiam Divinam scire minorem veritatem creatam, quam maiorem; & minorem magnitudinem Creatoris in minori creatura; quā maiorē in maiori, quod est impossibile.* Et idem est de cæteris Divinis dignitatibus. Proindeque debet Divina sapientia scire Incarnationem; vt sciat opus ad extra, in quo dignitates omnes Divinæ ponant suas similitudines perfecté, & in summo gradu, ac quiescant in ipso, tanquam in opere summo, & nobilissimo. Hoc autem sic est; vt per summum opus in summo gradu ostenderētur perfectiones Divinæ, seu finis vltimus porductionis ad extra, qui est

ostensio Divinarum perfectionum, perfectè, & complete assequeretur; & vt sic Deus magis cognosceretur, laudaretur, honoraretur, & amaretur; vt etiam mundus creatus esset propter summũ opus, quod foret finis, complementum, & caput creaturarum omnium; *vt finis primus increatus, & finis primus creatus essent coniuncti in Christo*, vt ait in lib. disp. Hamer. parte 2. cap. 2.

Et sicut stante actu sapientiæ ad extra, debet ipsa sapientia, ratione infinitæ bonitatis, magnitudinis, &c. obiectare Incarnationem; vt sciat creaturam nobilissimam, quæ sit caput, & finis omnium creaturarum; & per quã summè ostendantur Divinæ perfectiones, agnoscantur, laudentur, honorentur, & diligantur: ita debet Divina voluntas hoc idẽ velle, vt docet ibidem dicens: *vnde patet manifestè, quòd in Deo est Incarnatio: alioquin Divinus intellectus esset priùs in obiectãdo altiorem finem, & voluntas posteriùs non diligendo ipsum finem* Et cap. 16. inquit: *sicut Divinus intellectus intelligit maiorem finem naturæ creatæ, qui potest esse, sic Divina voluntas diligit ipsum esse, vt invicem sint æquè creantes, & æquè agentes; postquam habent actus naturales æqualiter.* Et cap. 24. *ens infinitum, & intelligens maiorem finem mundi, & amans magis amabilem finem illius est incarnatum: ratio huius est, quia ens infinitum id quod magis intelligit, ipsum magis diligit, ratione suæ infinitatis, & æqualitatis sui intellectus, & voluntatis.* Et in lib. 5. sapient. part. 4. cap. 44. *sapientia scit illam magni-*

magnitudinem boni, in qua Deus potest creaturam excellentiús exaltare: sed maior magnitudo boni, ad quã Deus creaturam valeat exaltare, est, quód ipsam deificet in se ipso, & assumat eam, &c. vnde sicut Dei sapientia attingit, & comprehendit id, in quo creaturam potest altiús exaltare: sic eius voluntas attingit, & comprehendit illud, in quo creaturam potest plus amare, & eam altiús exaltare: sicut enim sapientia illam creaturæ exaltationẽ attingit intelligendo; sic voluntas eandem attingit amando; vt sit æqualitas in potestate attinctionis, & comprehensionis ambarum: concluditur igitur ipsam Dei Incarnationem existere, postquam voluntas Dei ipsam vult esse; quæ si nõ esset, magnitudo bonitatis satisfaceret sapientiæ, & potestati; non autem voluntati, quod est impossibile. Ibidẽ: *sapientia Dei maiorem scit amorem, quem Deus habet in amare creaturam; & tale scire est actualiter; sed nisi sit Incarnatio, maius amare est in potentia, & maius scire in actu: cum maius scire, quod Deus scire possit in amare creaturam, sit, quód amet ipsam ad hoc quod ipsa sit Deus: oportet igitur Incarnationem existere; ne maius amare sit in potentia, maiori scire existente in actu.* Ibidem: *sequeretur igitur nisi esset Incarnatio, quod sapientia Dei intelligeret per magnitudinem bonitatis; & voluntas eius deamaret per magnitudinem malitiæ: vnde sequeretur, voluntatem, & sapientiam esse contrarias; & etiam sibimet voluntatem contrariari; quod cum sit valde impossibile, oportet Incarnationem existere, per quam, & in qua concordant in effectu Dei sapientia, & voluntas; in tan-*

tum, quód voluntas diligit omne id, per quod Deus sit magis cognitus, & amatus.

Sed dices: multa scit Divina sapientia, quæ non vult Divina voluntas: scit enim sapientia, quód Deus posset creare complures creaturas, quas voluntas non vult creari: igitur.

Respondeo, quód licet Divina sapientia plura, quæ non vult Divina voluntas, sciat in eminentia: tamen id omne, quod scit formaliter possibile per respectũ ad extra, seu habet obiectatũ, & ideatum, vult Divina voluntas, ratione æqualitatis, & concordantiæ cum sapientia, vt latiús dictum est in 1. tex. explicat. vnde sicut Deus posito, quód habeat actum ad extra, moraliter necessitatur scire, & obiectare Incarnationem, ratione infinitæ bonitatis, magnitudinis, &c. quæ hoc exigunt; ita Divina voluntas debet ipsam Incarnationẽ velle ratione æqualitatis, & concordantiæ cũ sapientia, & cum bonitate, magnitudine, &c.

Dices deinde: si sapientia, & voluntas, stantibus suis actibus ad extra, deberent ratione infinitæ bonitatis, magnitudinis, &c. scire, & velle nobilissimum opus; essent coactæ per bonitatem, magnitudinẽ, &c. igitur. Item, si stante sapientia sciente, & obiectante Incarnationem, deberet voluntas Incarnationẽ velle; esset voluntas coacta per sapientiam: igitur.

Respondet Doctor ibidem cap. 45. *quod nullo modo cadit in eis coactio: nam potestas potest possificare*, hoc est in actu ponere, *& voluntas amare liberé; postquam*

agunt

agant per magnitudinem bonitatis, gloriæ, virtutis, &c. & sicut per sapientiam est illud scibile liberé, ita per potestatem liberé est possibile, id est potens poni in actu, *& per voluntatem amabile: quare nulla dignitas coactionem ponit in aliam; sed in summa concordantia, & æqualitate se habēt ad producendū suas similitudines in effect⁹.*

Item dices: si sapientia, & voluntas, stantibus suis actibus ad extra, deberent scire, & velle Incarnationē; nō haberēt posse ad oppositū, nec libertatis indifferētiam; nec Incarnatio esset contingens: igitur. Itē, hoc derogat liberalitati, gratiæ, & beneficentiæ Dei: igitur.

Respondeo, quód sapientia, & voluntas, stantibus suis actibus ad extra, solum moraliter debent, ratione infinitæ bonitatis, magnitudinis, &c. scire, ac velle Incarnationem; non autem physicé debent; non physicé necessitantur; sed solúm moraliter: quoniam non necessitantur ex naturæ suæ necessitate; sed stantibus suis actibus ad extra indifferenter liberis; qui sunt ratio primaria, & principalis in productione ad extra, vt laté dictum est in 1. tex. explicat. quapropter liberé indifferenter operantur, habentque posse ad oppositum: morali enim necessitati, quæ solam infallibilitatem arguit, non opponitur posse non fieri; sed tantummodo moraliter posse non fieri, seu posse non infallibiliter fieri. Neque necessitas prædicta derogat liberalitati, gratiæ, & beneficētiæ Dei: quia ante vllum actum ad extra, non est in Deo moralis necessitas; sed solummodo stante actu ad extra indif-

ferenter libero; & sic quia stetit in Dei potestate moralem necessitatem non subire, non habendo actum ad extra; & voluit, hunc ipsum habendo, prædictam necessitatem subire: ideo non minuitur; imo augetur gratia, liberalitas, & beneficentia. Patet á simili, quia licet Deus ex quadam morali necessitate consequenti, videlicet promissionis, beatitudinem tribuat in gratia decedentibus; quia tamen, liberé indifferenter promittendo, voluit moralem necessitatem subire: ideo non minuit; imo auget gratiam, beneficentiam, & liberalitatem.

Dices postea: Doctor in Apostr. cap. de Incarnatione rat. 4. probat Incarnationem necessariam; vt Christus satisfaceret pro peccato primorum parentũ: atqui tale peccatum potuit in mundo non esse: igitur ex hypothesi, quód Deus velit ad extra producere nõ moraliter tenetur Incarnationem decernere.

Respondeo, triplicem esse finem Incarnationis: finis absoluté primarius, & principalis est Divinarum perfectionum summa ostensio, & maxima Dei gloria, cognitio, & dilectio. Alius finis, extra Deum primarius, & principalis, est ipsius operis summa excellentia: non enim fuit Christus medium primó intentum ad alium finem creatũ; sed potius est finis omniũ creatorum, caput, & complementum, in quo creata omnia summé nobilitantur, & propter quem omnia sunt creata: vt perfectissimũ operans, qualis est Deus non primó ordinet perfectius ad minús perfectum,

nec

nec magis diligat minús bonum, & diligibile, quam magis bonum. Alius tandem finis, seu principale motivum Incarnationis, quoad circunstantiam carnis patibilis, fuit nostra salus, & redemptio: minimé vero Incarnationis quoad substantiam. Et sic Doctor loco cit. probat Incarnationem moraliter necessariam tribus primis rationibus; vt Deus assequatur fines primarios, & principales Incarnationis quoad substantiã. Postea, ante quartam rationem supponit recreationẽ moraliter necessariam, de quo in explicat. tex. 3. & inde probat Incarnationem: quia moraliter necessariũ est, vt probat, ipsam recreationem fieri per Christũ, de quo in explicat. tex. 4. Ac proinde vult Doctor Incarnationem moraliter necessariam ex hypothesi, quód Deus velit ad extra producere; licet peccatum nunquam foret. Et patet ex lect. super Art. invent. & tabul. general. dist. 3. quæst. 2. vbi ait: *Incarnatio principaliter est propter gloriam Dei; secundario vero propter recreationem*, & in Art. invent. quæst. 3 de mille quæst. minutis inquit: *quicquid Deus creavit propter Christum creavit.* Et in lib. de centum Dei nomin. tit. ó Iesu dicit: *Iesu, propter te præcipué mundus conditus est de nihilo; eoquód hoc honore dignus es.* Et in lib. disp. Homer. part. 2. cap. 18. *vnde sequitur Incarnatio Divina, in qua sunt duæ bonitates coniunctæ ita altæ, quód altiores esse nõ possunt: & omnes aliæ bonitates inferiores ad illas duas sunt ordinatæ, sicut effectus ad suas causas.* Et in lib de Deo, & Christ. part. 2. quæst. 2. *Christus est illa persona*

ad cuius fine totus mundus creatus est. Idē tenet passim. Et in lib de Concept part. 4. rat. 13 ait: *esto quód Adā non peccasset, Deus habebatur incarnari.* Et in arb. quæst. de quæst. radic. arb. Mater. quærit: *si peccatum nō esset, Domina Nostra esset Mater Iesu-Christi hominis Dei?* & solvit: *primæ intentiones non sunt propter secundas: & martellus, & forsices sunt propter clavum.*

Dices præterea: si Incarnatio esset necessaria vt summé ostenderentur Divinæ perfectiones; & Deus maximé cognosceretur, & amaretur: etiam necessariū esset, quód Deus cōplures alias creaturas produceret: item quod complures alias rationales creaturas in gratia confirmaret: quia sic magis ostenderentur Divinæ perfectiones; & Deus magis cognosceretur, honoraretur, & amaretur: atqui hoc posterius non est necessarium: ergo neque illud prius.

Respondeo, quód si Deus cōplures alias creaturas produceret, magis solum extensivé assequeretur prædictus finis; non autem magis intensivé: subindeque non moraliter tenetur hoc facere, quod esset opus frustratorium: Deus enim nihil operatur absque sufficienti occasione, motivo, ratione, & causa: ne videatur imprudenter agere: & *Deus, & natura hoc, quod possunt facere per vnum non requirunt facere per duo; quia esset superfluum,* vt ait Doctor in quæst. ad Magist. Paris. Thomam Attrabat: quæst. 45. Item Deo competit agere ordinaté, & determinaté; non confusé, & indeterminaté: ac proinde sufficit, quód Deus ratio-

nabiliter

nabiliter producat determinatum, & cong ...um numerum creaturarum, *regulatum, & ordinatum*, vt ait Doctor in lib. 5. sapient. part. 4. cap. 45. *per magnitudinem bonitatis ad ipsum Incarnationem; quæ est maius opus extrinsecum ipsius posse, scire, & velle Dei per magnitudinem bonitatis; ad quod proportionaliter ordinantur, & regulantur quæcumque creata: vt formæ Divinæ subjectum habeant ordinatum, & determinatum, in quo quiescere possint: & quiescunt extrinsecé producendo; cum earũ similitudines sint deificatæ in ipsa Incarnatione.* Similiter dicendũ de confirmatione in gratia: vt enim Deus aliquos confirmaret per donum perseverantiæ; indubium est causas extitisse: non autem, vt hoc idẽ faciat in pluribus aliis, seu in omnibus: vt operetur iuxta naturam libertatis creatæ, & ait Doctor in arb. quæst. de quæst. flor. arb. Iesu Christi, *vt iustitiæ Dei subiectum remaneat, in quo posit vti iudicare.* Et de his latiús dictum est in 1. tex. explicat.

Dices etiam: prædictus finis meliús, & perfectiús assequeretur; si Deus poneret in mundo omnia cum maioritate, & maiori Dei similitudine: sed hoc non est necessarium; alioquin infallibiliter á Deo fieret: ergo Incarnatio non est necessaria vt perfectisimé assequatur prædictus finis.

Respondet Doctor in quæst ad M. Paris. Thomã Attrab. quæst. 4. sic: *Deus creavit mundum propter maioritatem finis: & hoc propter magnitudinem suæ bonitatis, infinitatis, & sic de aliis suis attributis: maior*

autem finis est; vt sit ab Angelis, & hominibus recolitus, & intellectus, & dilectus cum maioritate finis: & ideo respectu talis dispositionis suæ recolibilitatis, intelligibilitatis, & amabilitatis; respectu etiã recolitivitatis, intellectivitatis, & amativitatis Angelorum, & hominũ, creavit Deus entia sibi similia, sicut bonitates, magnitudines, durationes, potestates, &c. entium corporalium, & spiritualium: & creavit etiam sibi dissimilia bona, scilicet minoritates, contrarietates naturales, & sic de aliis entium corporalium: & hoc, vt per similitudines, & dissimilitudines possit meliùs ab Angelis, & hominibus recoli, intelligi, & amari: & sic de suis dignitatibus, quæ multo melius possunt recoli, intelligi, & amari cum similibus, & dissimilibus; quam cum similibus tantum: peccatum autem non creavit, cum sit malum, & Deus sine bonitate, quæ opposita est peccato, agere, vel creare aliquid non possit; cum ipse, & sua bonitas sint idem numero. Et de his latiùs dictum est in 1. tex. explic.

Item dices: magis ostenderentur Divinæ perfectiones, & mundus esset in maiori magnitudine bonitatis, & magis exaltatus; si Verbum assumeret complures alias naturas humanas: & si Pater, & Spiritus Sactus essent incarnati: atqui hoc non est necessariũ: igitur neque quod Verbum vnam assumat naturam.

Respondet Doctor in lib. 5. sapient. part. 4. cap. 45 *quod provt potestas consideratur secundum se absoluta, conceditur talia posse: sed provt consideratur agere ordinatè, & determinatè; & non confusè, & indeterminatè; cum*

cum ei non competat ſic agere, non conceditur, quod hoc poſsit; ſi bene conſideretur ſua operatio ſecundum magnitudinem bonitatis, quantum ad vnitatem vnius Chriſti, & vnius perſonæ: perſona enim multorum hominum non poteſt eſſe vna; (concreta videlicet cum ſingularitate naturæ aſſumptæ, ſi Verbũ aſſumeret plures humanitates) *cum ipſi ſubſtantialiter ſint diſtincti, habens quilibet perſonam ab alterius perſona diſtinctam. Et etiam quia vnitas chriſtianitatis, ſic loquendo, & eius ſingularitas eſſet in parvitate bonitatis, & in privatione, ſi foret ipſa Incarnatio in pluribus hominibus: nec foret vna creatura in maiori magnitudine bonitatis, quam omnes aliæ: & ſic eſſet deſtructa proportio in maioritate magnitudinis in ipſa creatione; & maior convenientia vnius creaturæ ad vnum Deum: ac etiam eſſet opus fruſtratoriũ; cum ita bene, & convenientiùs ſint omnium Dei dignitatũ ſimilitudines deificatæ in aſſumptione vnius creaturæ, quam plurium, ſicut manifeſtè apparet diligentiùs intuenti. Quare licet concedatur ſecundum poteſtatem abſolutam: negatur tamen ſecundum poteſtatem ordinatam, ſecundum quam agit; & ſecundum maioritatem vnius maioris creaturæ omnibus aliis per ſingularitatem deificatæ; ac etiam ſecundum vnitatem perſonæ Incarnationẽ ſumentis; & ſecundum maiorem convenientiam ambarũ naturarum; ſcilicet Divinæ, & humanæ: ac ſecundum proportionem omnium partium mundi proportionatarum ad vnam maiorem creaturam deificatam; vltra quam nobilitas operis extrinſeci maior eſſe non poteſt.* Et in lib. de

disp intellectus, & fidei cap. de Incarn. ait: *si Deus assumeret plures humanitates, non esset unus Christus, sed plures: & unus derogaret un ab omnibus aliis, eo quia non sufficeret unus Christus, vt esset finis totius universi: atque Filius Dei esset plures personæ, quod est impossibile, & contra ordinationem, & proportionem totius universi: & etiam essent plures populi, &c.* Ibidem: *Deus non potest esse in creatura, nec creatura in ipso, nisi cum maiori exaltatione unius creaturæ, existentis finis omnium entium creatorum: propterquam maiorem exaltationem esset proportionata, & disposita ad deificationem, & Incarnationem:* Et in arb. Christ. cap. de flor. *vna est Incarnatio, & non plures, vt cum singularitate ascendere possit Incarnatio ad maiorem gradum amabilitatis creatæ, quæ respondeat maiori gradui amativitatis increatæ.* Et in arb. Christ. *sicut in Deo bonitas potest esse maior ratio Deo, quod magnum bonum producat, Deo existente vno, & nõ pluribus: ita est maior ratio, Deo existente Incarnato in vno homine, quam si esset incarnatus in pluribus creaturis.* Ibidem: *sicut Divina bonitas potest esse altius, & nobilius principium per vnitatem, quam per plures bonitates: ita est nobilius principium in creando mundum principaliter ad vnum hominem, quam ad plures.* Ibidem: *nulla maior maioritas produci potest in æqualitate plurium bonitatum sustentatarum in pluribus hominibus.* Ibidem: *quia vnitas bonitatis increatæ est in maioritate: non posset Deus æquare duas personas, nec plures per Incarnationem in maiori bonitate.* Et in 3. sent. quæst. 108 *sicut est vna*

summa

summa bonitas in Deo increata, & non plures: sic plus requirit summam bonitatem creatam, & non plures: & sic de summa magnitudine increata, & creata; & sic de summa voluntate increata, & creata, & sic de aliis. Et ratio huius est, quia maior proportio, & dispositio est inter vnum, & vnum, quam inter vnum, & plura: vnde sequitur quòd Deus, quantum ad hoc, plures humanitates recipere nõ potuit, vt nõ derogaret maiori vnioni Incarnationis. Itẽ si Filius Dei assumere potuerit plures humanitates, in ipso plures potuisset esse vnũ suppositum, quod est impossibile. Item si plures humanitates assumere potuisset, vnus finis Incarnationis sufficere non potuisset per vnum hominem, illo fine existente in summitate creata; quod est impossibile existente illa humanitate assumpta cum summo fine increato. Et quia potuit exaltare vnam creaturã in summitate increata, scilicet vnum hominem Christum; non posset exaltare plures homines in summitatibus creatis: cum summitas requirat esse in vno, & nõ in pluribus. Et in lib. disp. Homer. part. 2. cap. 6. *Deus non potest incarnari in natura humana, quæ non est singularis in summitate finis, videlicet quòd omnes creaturæ sint ordinatæ ad ipsum, vt Deus sit homo. Et sic respiciunt se inuicem, summa singularitas increata, & summa singularitas creata: ratione cuius ipsa humana natura est disposita per summam singularitatem, vt Deus sit incarnatus.* Stet igitur, quod Verbum potestate ordinata non potest, nec moraliter potest plures assumere humanitates, licet hoc possit potestate absoluta, & physicè.

Neque [illegible] potuit vnam [illegible], & Spiritus Sanctus alium. [illegible] part. 2. cap. [illegible] esse [illegible] & sic de Spiritu [illegible] esse [illegible] & sic destrueretur vni- [illegible], & [illegible], quod est [illegible] vniuersi per In- [illegible] non fuit capax ad re- [illegible] Filius Dei nõ fuisset [illegible] gradu, quo po- [illegible] sit infinitus. Et in [illegible] in Deo sunt tres [illegible] Spiritus Sanctus: vnde [illegible] humanitatem, [illegible]; & Deus Spiri- [illegible] plus habere potuit [illegible], quam Pater, & Spiritus [illegible] æqualiter [illegible] & Spiritu Sancto. Item si- [illegible] magnitudine boni- [illegible] & non cuius [illegible] plures humanitates, [illegible] de bonitate, magni- [illegible] Pater assumere vnam [illegible] Et soluit Doctor: [illegible] potuisset esse Pa- [illegible] de qua nasceretur, [illegible], & vide superius, Apostroph.

cap.

cap. de Incarn. Filii Dei, & eius Concept.) *in vno supposito; & idem de Filio homine, quod est valde inconveniens, & contra distinctionem relationis paternitatis, & filiationis: & quia inconveniens sonat imperfectionē, vicium, & contrarietatem: ratione inconvenientiæ Deus Pater naturam humanam assumere non potuit: & idem sequitur de Sancto Spiritu, qui si naturam humanam assüpsisset, esset filius ex parte humanitatis, & nō filius, &c. Et quando dicis, quod plus est de bonitate, &c. in tribus humanitatibus, quam in vna: verum dicis, quoad quantitatem extensam bonitatis, &c. & nō, quoad intensam; neque quoad finem: sicut vnus Rex habēs vnam magnam intensitatem bonitatis, durationis, sanctitatis, potestatis, &c: qui est in altiori nobilitate, quam duo homines, aut plures ei subditi habentes magnam extensitatem, & parvā bonitatem, sanctitatem potestatem, &c. Et á simili de duobus Regibus existentibus in vno regno, qui non possent esse in tanta, & ita magna, & alta nobilitate, potestate, iucunditate, & voluntate, sicut vnus solus: sic á simili, & multo plus esset de pluribus Christis, si omnes tres Personæ Divinæ essent incarnatæ.* Consonat D Bernardin. Sen. in serm. 61. exclamās: *si ipse Pater, vel Spiritus Sanctus de fœmina nasceretur; nihil accresceret Orbi.* Et in arb. quæst. cap. de quæst. flor. arb. Iesu Christ. quærit Doctor: *cum potestas Divina tantum se extendere possit in incarnare per Patrem, & Spiritum Sanctum; quare Pater, & Spiritus Sanctus, nō fuerunt incarnati?* Et solvit: *ex parte creaturæ, quæ est filia per creationem, fuit melius*

ferenter libero; & ſic quia ſtetit in Dei poteſtate moralem neceſsitatem non ſubire, non habendo actum ad extra; & voluit, hunc ipſum habendo, prædictam neceſsitatem ſubire: ideo non minuitur; imo augetur gratia, liberalitas, & beneficentia. Patet á ſimili, quia licet Deus ex quadam morali neceſsitate conſequenti, videlicet promiſsionis, beatitudinem tribuat in gratia decedentibus; quia tamen, liberé indifferenter promittendo, voluit moralem neceſsitatem ſubire: ideo non minuit; imo auget gratiam, beneficentiam, & liberalitatem.

Dices poſtea: Doctor in Apoſtr. cap. de Incarnatione rat. 4. probat Incarnationem neceſſariam; vt Chriſtus ſatisfaceret pro peccato primorum parentũ: atqui tale peccatum potuit in mundo non eſſe: igitur ex hypotheſi, quód Deus velit ad extra producere nõ moraliter tenetur Incarnationem decernere.

Reſpondeo, triplicem eſſe finem Incarnationis: finis abſoluté primarius, & principalis eſt Divinarum perfectionum ſumma oſtenſio, & maxima Dei gloria, cognitio, & dilectio. Alius finis, extra Deum primarius, & principalis, eſt ipſius operis ſumma excellentia: non enim fuit Chriſtus medium primó intentum ad alium finem creatũ; ſed potius eſt finis omniũ creatorum, caput, & complementum, in quo creata omnia ſummé nobilitantur, & propter quem omnia ſunt creata: vt perfectiſsimũ operans, qualis eſt Deus non primó ordinet perfectius ad minús perfectum,

nec

nec magis diligat minús bonum, & diligibile, quam magis bonum. Alius tandem finis, seu principale motivum Incarnationis, quoad circunstantiam carnis patibilis, fuit nostra salus, & redemptio: minimé vero Incarnationis quoad substantiam. Et sic Doctor loco cit. probat Incarnationem moraliter necessariam tribus primis rationibus; vt Deus assequatur fines primarios, & principales Incarnationis quoad substantiã. Postea, ante quartam rationem supponit recreationẽ moraliter necessariam, de quo in explicat. tex. 3. & inde probat Incarnationem: quia moraliter necessariũ est, vt probat, ipsam recreationem fieri per Christũ, de quo in explicat. tex. 4. Ac proinde vult Doctor Incarnationem moraliter necessariam ex hypothesi, quód Deus velit ad extra producere; licet peccatum nunquam foret. Et patet ex lect. super Art. invent. & tabul. general. dist. 3. quæst. 2. vbi ait: *Incarnatio principaliter est propter gloriam Dei; secundario vero propter recreationem*, & in Art. invent. quæst. 3. de mille quæst. minutis inquit: *quicquid Deus creavit propter Christum creavit*. Et in lib. de centum Dei nomin. tit. ó Iesu dicit: *Iesu, propter te præcipué mundus conditus est de nihilo; eoquód hoc honore dignus es*. Et in lib. disp. Homer. part. 2. cap. 18. *vnde sequitur Incarnatio Divina, in qua sunt duæ bonitates coniunctæ ita altæ, quód altiores esse nõ possunt: & omnes aliæ bonitates inferiores ad illas duas sunt ordinatæ, sicut effectus ad suas causas*. Et in lib de Deo, & Christ. part. 2. quæst. 2. *Christus est illa persona*

ad cuius finẽ totus mundus creatus est. Idẽ tenet pafsim. Et in lib de Concept part. 4. rat. 13 ait: *esto quód Adã non peccasset, Deus habebatur incarnari*. Et in arb. quæst. de quæst. radic. arb. Mater. quærit: *si peccatum nõ esset, Domina Nostra esset Mater Iesu-Christi hominis Dei*? & solvit: *primæ intentiones non sunt propter secundas: & martellus, & sorsices sunt propter clavum.*

Dices præterea: si Incarnatio esset necessaria vt summé ostenderentur Divinæ perfectiones; & Deus maximé cognosceretur, & amaretur: etiam necessariũ esset, quód Deus cõplures alias creaturas produceret: item quod complures alias rationales creaturas in gratia confirmaret: quia sic magis ostenderentur Divinæ perfectiones; & Deus magis cognosceretur, honoraretur, & amaretur: atqui hoc posterius non est necessarium: ergo neque illud prius.

Respondeo, quód si Deus cõplures alias creaturas produceret, magis solum extensivé assequeretur prædictus finis; non autem magis intensivé: subindeque non moraliter tenetur hoc facere, quod esset opus frustratorium: Deus enim nihil operatur absque sufficienti occasione, motivo, ratione, & causa: ne videatur imprudenter agere: & *Deus, & natura hoc, quod possunt facere per vnum non requirunt facere per duo; quia esset superfluum*, vt ait Doctor in quæst. ad Magist. Paris. Thomam Attrabat. quæst. 45. Item Deo competit agere ordinaté, & determinaté; non confusé, & indeterminaté: ac proinde sufficit, quód Deus ratio-

nabiliter

nabiliter producat determinatum, & cong ... num numerum creaturarum, *regulatum, & ordinatum*, vt ait Doctor in lib. 5. sapient. part. 4. cap. 45. *per magnitudinem bonitatis ad ipsam Incarnationem, quæ est maius opus extrinsecum ipsius posse, scire, & velle Dei per magnitudinem bonitatis, ad quod proportionaliter ordinantur, & regulantur quæcumque creata: vt formæ Diuinæ subiectum habeant ordinatum, & determinatum, in quo quiescere possint: & quiescunt extrinsecé producendo; cum earũ similitudines sint deificatæ in ipsa Incarnatione.* Similiter dicendũ de confirmatione in gratia: vt enim Deus aliquos confirmaret per donum perseverantiæ; indubium est causas extitisse: non autem, vt hoc idẽ faciat in pluribus aliis, seu in omnibus: vt operetur iuxta naturam libertatis creatæ, & ait Doctor in arb. quæst. de quæst. flor. arb. Iesu Christi, *vt iustitiæ Dei subiectum remaneat, in quo possit vti iudicare.* Et de his latiús dictum est in 1. tex. explicat.

Dices etiam: prædictus finis meliús, & perfectiús assequeretur; si Deus poneret in mundo omnia cum maioritate, & maiori Dei similitudine: sed hoc non est necessarium; alioquin infallibiliter á Deo fieret: ergo Incarnatio non est necessaria vt perfectissimé assequatur prædictus finis.

Respondet Doctor in quæst ad M. Paris. Thomã Attrab. quæst. 4. sic: *Deus creavit mundum propter maioritatem finis: & hoc propter magnitudinem suæ bonitatis, infinitatis, & sic de aliis suis atributis: maior*

autem finis est; vt sit ab Angelis, & hominibus recolitus, & intellectus, & dilectus cum maioritate finis: & ideo respectu talis dispositionis suæ recolibilitatis, intelligibilitatis, & amabilitatis; respectu etiã recolitivitatis, intellectivitatis, & amativitatis Angelorum, & hominũ, creavit Deus entia sibi similia, sicut bonitates, magnitudines, durationes, potestates, &c. entium corporalium, & spiritualium: & creavit etiam sibi dissimilia bona, scilicet minoritates, contrarietates naturales, & sic de aliis entium corporalium: & hoc, vt per similitudines, & dissimilitudines possit meliùs ab Angelis, & hominibus recoli, intelligi, & amari: & sic de suis dignitatibus; quæ multo melius possunt recoli, intelligi, & amari cum similibus, & dissimilibus; quam cum similibus tantum: peccatum autem non creavit, cum sit malum, & Deus sine bonitate, quæ opposita est peccato, agere, vel creare aliquid non possit; cum ipse, & sua bonitas sint idem numero. Et de his latiùs dictum est in 1. tex. explic.

Item dices: magis ostenderentur Divinæ perfectiones, & mundus esset in maiori magnitudine bonitatis, & magis exaltatus; si Verbum assumeret complures alias naturas humanas: & si Pater, & Spiritus Sactus essent incarnati: atqui hoc non est necessariũ: igitur neque quod Verbum vnam assumat naturam.

Respondet Doctor in lib. 5. sapient. part. 4. cap. 45 *quod provt potestas consideratur secundum se absoluta, conceditur talia posse: sed provt consideratur agere ordinaté, & determinaté; & non confusé, & indeterminaté;*

cum ei non competat sic agere, non conceditur, quod hoc possit; si bene consideretur sua operatio secundum magnitudinem bonitatis, quantum ad vnitatem vnius Christi, & vnius personæ: persona enim multorum hominum non potest esse vna; (concreta videlicet cum singularitate naturæ assumptæ, si Verbū assumeret plures humanitates) *cum ipsi substantialiter sint distincti, habens quilibet personam ab alterius persona distinctam. Et etiam quia vnitas christianitatis, sic loquendo, & eius singularitas esset in parvitate bonitatis, & in privatione, si foret ipsa Incarnatio in pluribus hominibus: nec foret vna creatura in maiori magnitudine bonitatis, quam omnes aliæ: & sic esset destructa proportio in maioritate magnitudinis in ipsa creatione; & maior convenientia vnius creaturæ ad vnum Deum: ac etiam esset opus frustratoriū; cum ita bene, & convenientiùs sint omnium Dei dignitatū similitudines deificatæ in assumptione vnius creaturæ, quam plurium, sicut manifesté apparet diligentiùs intuenti. Quare licet concedatur secundum potestatem absolutam: negatur tamen secundum potestatem ordinatam, secundum quam agit; & secundum maioritatem vnius maioris creaturæ omnibus aliis per singularitatem deificatæ; ac etiam secundum vnitatem personæ Incarnationē sumentis; & secundum maiorem convenientiam ambarū naturarum; scilicet Divinæ, & humanæ: ac secundum proportionem omnium partium mundi proportionatarum ad vnam maiorem creaturam deificatam; vltra quam nobilitas operis extrinseci maior esse non potest.* Et in lib. de

disp. intellectus, & fidei cap. de Incarn. ait: *si Deus assumeret plures humanitates, non esset vnus Christus, sed plures: & vnus derogaret uni ab omnibus aliis, eo quia non sufficeret vnus Christus, vt esset finis totius vniversi: atque Filius Dei esset plures personæ, quod est impossibile, & contra ordinationem, & proportionem totius vniversi: & etiam essent plures populi, &c.* Ibidem: *Deus non potest esse in creatura, nec creatura in ipso, nisi cum maiori exaltatione vnius creaturæ, existentis finis omnium entium creatorum: propter quam maiorem exaltationem esset proportionata, & disposita ad deificationem, & Incarnationem.* Et in arb. Christ. cap. de flor. *vna est Incarnatio, & non plures, vt cum singularitate ascendere possit Incarnatio ad maiorem gradum amabilitatis creatæ, quæ respondeat maiori gradui amativitatis increatæ.* Et in arb. Christ. *sicut in Deo bonitas potest esse maior ratio Deo, quod magnum bonum producat, Deo existente vno, & nō pluribus: ita est maior ratio, Deo existente Incarnato in vno homine, quam si esset incarnatus in pluribus creaturis.* Ibidem: *sicut Divina bonitas potest esse altius, & nobilius principium per vnitatem, quam per plures bonitates: ita est nobilius principium in creando mundum principaliter ad vnum hominem, quam ad plures.* Ibidem: *nulla maior maioritas produci potest in æqualitate plurium bonitatum sustentatarum in pluribus hominibus.* Ibidem: *quia vnitas bonitatis increatæ est in maioritate: non posset Deus æquare duas personas, nec plures per Incarnationem in maiori bonitate.* Et in 3. sent. quæst. 108 *sicut est vna*

summa

summa bonitas in Deo increata, & non plures: sic plus requirit summam bonitatem creatam, & non plures: & sic de summa magnitudine increata, & creata; & sic de summa voluntate increata, & creata, & sic de aliis. Et ratio huius est, quia maior proportio, & dispositio est inter vnum, & vnum; quam inter vnum, & plura: vnde sequitur quòd Deus, quantum ad hoc, plures humanitates recipere nō potuit; vt nō derogaret maiori vnioni Incarnationis. Itē si Filius Dei assumere potuerit plures humanitates; in ipso plures potuissēt esse vnū suppositum, quod est impossibile. Item si plures humanitates assumere potuisset; vnus finis Incarnationis sufficere non potuisset per vnum hominem, illo fine existente in summitate creata; quod est impossibile existente illa humanitate assumpta cum summo fine increato. Et quia potuit exaltare vnam creaturā in summitate increata; scilicet vnum hominem Christum; non posset exaltare plures homines in summitatibus creatis: cum summitas requirat esse in vno, & nō in pluribus. Et in lib. disp. Homer. part. 2. cap. 6. *Deus non potest incarnari in natura humana, quæ non est singularis in summitate finis; videlicet quòd omnes creaturæ sint ordinatæ ad ipsum; vt Deus sit homo. Et sic respiciunt se inuicem, summa singularitas increata, & summa singularitas creata: ratione cuius ipsa humana natura est disposita per summam singularitatem, vt Deus sit incarnatus.* Stet igitur, quod Verbum potestate ordinatā non potest, nec moraliter potest plures assumere humanitates, licet hoc possit potestate absoluta, & physicè.

Neque Pater ordinaté, & moraliter potuit vnam humanitatem assumere; & Spiritus Sanctus aliam. Hoc docet Doctor in lib. disp. Homer. part. 2. cap. 28. dicens: *si Pater esset incarnatus, & sic de Spiritu Sancto, iam Pater & esset Filius: & sic destrueretur vnitas, & singularitas paternitatis, & filiationis, quod est impossibile. Amplius tanta fuit exaltatio vniversi per Incarnationẽ Filii Dei, quod vniversũ non fuit capax ad recipiendũ altiorẽ exaltationẽ: nã aliter Filius Dei nõ fuisset sufficiens ad exaltationẽ vniversi in altiori gradu, quo potuit exaltari, quod est impossibile, cũ ipse sit infinitus.* Et in 3. sent quæst. 108. arguit Eremita: *in Deo sunt tres personæ, scilicet Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: vnde sicut Deus Filius assumere potuit vnam humanitatem, sic Deus Pater assumere potuit aliam; & Deus Spiritus Sanctus aliam: alioquin Filius plus habere potuit de potestate in suo effectu, quam Pater, & Spiritus Sanctus, quod est impossibile; cum mundus æqualiter creatus sit á Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Item sicut ad Deum pertinet agere cum magnitudine bonitatis, & duratione potestatis, &c. vt dicis; & non cum parvitate: plus ad se pertinet assumere plures humanitates, quam vnam; cum plures plus dicant de bonitate, magnitudine, &c. quam vna: potuit ergo Pater assumere vnam humanitatẽ, & Spiritus Sanctus aliã.* Et solvit Doctor: *si Deus Pater humanitatem assumpsisset, potuisset esse Pater, & Filius* (fœminæ videlicet, de qua nasceretur, & ex parte humanitatis, & vide superiús, Apostroph.

cap. de Incarn. Filii Dei, & eius Concept.) *in vno supposito; & idem de Filio homine, quod est valde inconveniens, & contra distinctionem relationis paternitatis, & filiationis: & quia inconveniens sonat imperfectionē, vicium, & contrarietatem: ratione inconvenientiæ Deus Pater naturam humanam assumere non potuit: & idem sequitur de Sancto Spiritu, qui si naturam humanam assúpsisset, esset filius ex parte humanitatis; & nō filius, &c. Et quando dicis, quod plus est de bonitate, &c. in tribus humanitatibus, quam in vna: verum dicis, quoad quantitatem extensam bonitatis, &c. & nō quoad intensam; neque quoad finem: sicut vnus Rex habēs vnam magnam intensitatem bonitatis, durationis, sanctitatis, potestatis, &c: qui est in altiori nobilitate, quam duo homines, aut plures ei subditi habentes magnam extensitatem, & parvā bonitatem, sanctitatem potestatem, &c. Et á simili de duobus Regibus existentibus in vno regno, qui non possent esse in tanta, & ita magna, & alta nobilitate, potestate, iucunditate, & voluntate, sicut vnus solus: sic á simili, & multo plus esset de pluribus Christis, si omnes tres Personæ Divinæ essent incarnatæ.* Consonat D Bernardin. Sen. in serm. 61. exclamās: *si ipse Pater, vel Spiritus Sanctus de fœmina nasceretur; nihil accresceret Orbi.* Et in arb. quæst. cap. de quæst. flor. arb. Iesu Christ. quærit Doctor: *cum potestas Divina tantum se extendere possit in incarnare per Patrem, & Spiritum Sanctum; quare Pater, & Spiritus Sanctus, nō fuerunt incarnati?* Et solvit: *ex parte creaturæ, quæ est filia per creationem, fuit melius*

proportionatus, & dispositus filius homo, vt esset deificatus per Incarnationem Filii Dei, quam personæ, quæ nō sit filius: cùm ita sit quod inter filium, & filium maior sit concordantia secundum speciem, quam inter filium, & nō filium secundum genus.

Dices prætereà: perfectiús ostenderetur Divina Trinitas, si omnes tres Divinæ Personæ eandem humanitatem assumerent; quia tunc esset vnitas naturæ creatæ in trinitate personarum: atqui hoc non est necessarium: ergò neque quod Verbum vnam assumat humanitatem, vt summè ostendantur Perfectiones Divinæ.

Respondeo, quod subsistere, triplici subsistentia simul proprium, & peculiare est naturæ Divinæ, & physicè repugnat naturæ creatæ: illud enim omne, quod Divinæ singularitati, & summitati adversatur, creaturæ repugnat, vt apparebit ex denodatione tex. 19. Illa tamen maior similitudo Trinitatis, quæ esse potest secundum capacitatem creaturæ, est per Incarnationem, vt docet Doctor in lib 5. sapient. part. 3. cap. 24 dicens: *Incarnatio est Trinitatis Divinæ speculū, & figura: quoniam in ipsa Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus convertuntur per essentiam, & naturam, & remanent vna essentia, vna natura, vna Deitas, vnus Deus: Distincti tamē remanēt per proprietates personales, in quarum vna persona non est alia. Simili modo é converso est in Incarnatione: quoniam conversio naturæ Divinæ, & humanæ* (quæ est duplex, videlicet corporalis, & spi-

ritualis) *est in vnitate personæ; earum tamen differentia remanet, in quantum vna natura nō est alia: & illud per quod Deus est homo; & é converso, est vtriusque naturæ conversio, quam ambæ naturæ habent in vnitate personæ; Quare tua ratio nō est vera; nam si vera esset, Incarnatio similitudo esset, & speculum obliquum contra Trinitatem Divinam; & contra distinctionem ipsius, quod est impossibile.* Et in lib. disp. intel. & fidei cap. de Incarnatione ait: *illud, quod magis est simile Deo in vnitate, & Trinitate, est necessarium: sed Christus est huiusmodi: ergo Christus est necessarius. Maiorem declaró sic: quia omne illud, quod est magis simile Divinæ vnitati, & Trinitati, est magis á Divina sapientia scibile, & á Divina voluntate amabile; & etiam á Divina bonitate bonificabile, & á Divina magnitudine magnificabile, &c. ergo tale simile est necessarium; alioquin Divina sapientia, voluntas, bonitas, & magnitudo, & cætera attributa essent contra hoc, quod est Divinæ vnitati, & Trinitati magis simile, quod est impossibile. Probatio minoris: quia in ipso sunt tres naturæ, scilicet Divina, & humana, quæ est duplex videlicet corporalis, & spiritualis; & istæ tres constituunt vnum Christum, Deum, & hominem.* Idem tenet in lib. 5. sapient. part. 4. cap. 44.

Etiam dices: meliús ostenderetur Divina æternitas: si Incarnatio esset ab æterno; quam si sit in novitate: atqui illud prius non est necessarium: igitur neque hoc posterius.

Respondeo, quod æternitas, seu infinita duratio

 crea-

creaturæ repugnat; ſicuti infinita bonitas, infinitã magnitudo, &c. & hoc eſt, quia ſi eſſet extra Deum infinita duratio, derogaret ſingularitati, & ſummitati Divinæ æternitatis, vt videbitur in explicat. tex. 19. illa tamen maior ſimilitudo æternitatis, cuius capax eſt creatura, eſt per Incarnationẽ, vt docet Doctor in arb. quæſt. cap. de quæſt. flor. arb. Iesu-Chriſti, dicẽs: *maior actus, quem ſapientia ſcire poteſt de æternitate in creatura, eſt, quod ſciat vnam perſonam de æternitate, & creatura.* Ibidem: *ita eſt æternitas ratio Deo, quód creaturam in æternitate producat: ſicut bonitas eſt ratio, quód creaturam producat in bonitate. Sed ſicut bonitas creata in infinitate produci nõ poteſt: ita duratio creaturæ produci nõ poteſt ſine tempore*, id eſt novitate. *Et quia duratio creata poteſt produci in æternitate per Incarnationem, exiſtente homine Deo æterno: requirit ſumma bonitas, quod homo ſit Deus, & ſummum bonum.*

Dices præterea: Divina ſapientia ſcire poteſt, & voluntas velle, ac poteſtas perficere opera Incarnatione nobiliora in infinitum: alioquin Divina potentia exauſta eſſet: atqui Deus non moraliter tenetur talia opera facere: igitur neque tenetur ad Incarnationem.

Reſpondeo, quod Divina ſapientia talia ſcit in eminentia, & intra Deum: formaliter tamen, & per reſpectum ad extra non cognoſcit, vt patet ex dictis pro 1. tex. explicat. nec poteſt actu cognoſcere, obiectare, ſeu ideare; non ex ſua quidem impotentia; quia potentia Dei eſt infinita: & ſic, vt ait Doctor in

1. sent. quæst. 53. *nō deficit quoad se; sed deficit subiectū multiplicationis*; id est deficit creatura, vt semper, seu in infinitum perfectior esse posit. Et idem est de voluntate, & potestate; voluntas enim, quia infinita, quocumque opere dato ad extra, semper quoad seipsam potest velle nobilius opus; & infinita potestas quoad se perficere potest: non autem potest voluntas actu velle, nec potestas in actu ponere perfectius opus opere Incarnationis; quia deficit subiectum multiplicationis, seu quia creatura plus vigoris, & activitatis Divinæ potentiæ recipere non potest. Ac inde posse Divinum exhaustum non manet; sed potiús capacitas, & pasiva potentia creaturæ: vt enim Divinum posse esset exhaustum, requireret, quod creatura totā activitatem susciperet Divinæ potentiæ. Stet igitur, quod Incarnatio est nobilius, & perfectius opus, quod posit poni in actu; in quo Divinæ perfectiones quiescunt, & perfecté, & completé suas ponunt similitudines. Totum docet Doctor in lib. disp. intel. & fidei cap. de Incarnat. dicens: *omnes Divinæ dignitates veniunt ad creaturas cum infinitis actibus: eo quia tantummodo earum est infinire: sed quia creaturæ sunt finitæ, nō sunt capaces ad capiēdam infinitas pasiones: vnde sequitur, quod Deus agat in aliquo in tāto, quod magis agere nō posit cum suis dignitatibus; vt suæ dignitates quiescāt extra in illo maiori agere, & quod quies, quæ est extra respōdeat ad quietem ad intra, quæ est per Trinitatem Divinam: sed hoc est per Incarnationem*, &c.

Etiam

Etiam dices: secundum magnitudinem bonitatis creatio maior fuisset, & nobilior per assumptionem in Deum naturæ Angelicæ, quã humanæ: igitur ex hypothesi, quod Deus creare velit, seu ad extra producere, non tenetur naturam humanam assumere, vt faciat summum opus ad extra.

Respondet Doctor in lib. 5. sapient. part. 4. cap. 45. *quod non est verum; quia Deus per assumptionem naturæ Angelicæ nõ participaret cũ omni creato: cũ quo partisipat per assumptionem naturæ humanæ participantis cum omnibus creaturis, tam corporalibus, quam spiritualibus: ex quo vnio, & assumptio creaturæ ad Deum nobilior, & perfectior comprobatur.* Et in arb. quæst. de quæst. flor. arb. Iesu-Christi sic solvit: *quia Deus per hominem participare potest cum omnibus creaturis; & nõ per Angelum: est magis generalis finis, qui est per hominem, quam finis, qui est per Angelum.* Et in lib. disp. intellectus, & fidei cap. de Incarnat. hanc ipsam probat, quoniam: *Deus per illam humanitatem quam assumpsit participat naturaliter cum effectu suo, & cum toto vniverso; & ratio huius est, quia homo naturaliter participat cum omnibus entibus creatis.* Et in quæst. ad M. Thomam Attrabat. quæst. 44. inquit: *voluit Deus sumere carnem; vt esset pars vniversi, vt naturaliter participaret cum omnibus creaturis.* In creatione enim mundi, in homine collecta est omnis creatura, & microcosmus appellatur: ac ideo ad omnium creaturarum exaltationem melior est Angelo.

Item

Item dices: Deus absque Incarnatione poterat creare vnam creaturam nobiliorem omnibus aliis creaturis: & ordinare, & proportionare totum vniversum ad illam: igitur non est necessaria Incarnatio, vt Deus faciat nobilius opus ad extra, quod sit caput, & finis omnium creaturarum.

Respondet Doctor in lib. 5. sapient part. 4 cap 45. *quod secundum potestatem absolutam talia conceduntur, sed negãtur, provt consideratur ipsa potestas in suo agere, & procedere ordinatè per magnitudinem bonitatis, & omnium aliarum. Nec etiam est intelligibile, quod creatura non deificata fore posset digna, quod esset finis, & complementum totius proportionis creatæ.* Et cap. 44. ait: *nisi fuerit Incarnatio, rationes Dei non habent in quo quiescere possint in effectu creato: nam indeterminata quælibet, nõ suam poneret similitudinem in creaturis; sicut magnitudo, quæ in perpetuum posset magnificare creaturam, nisi eam deificasset: & bonitas similiter in perpetuum, nisi esset deificata, ipsam bonificare valeret: & sic nec quiescere possent, nec ad finem venire in producendo suas similitudines in creaturis perfectè. Sed si sit ipsa benedicta Incarnatio, sic quod creatura sit deificata: magnitudo non valet magnificare plus eam; nec bonitas bonificare; nec potestas possificare, & sic de aliis dignitatibus Dei.* Et ibidem: *sic debet per Deitatem mundus creari, sicut per bonitatem, magnitudinem, &c. & sicut debet aliquod mundi particulare super omnia alia magnificari, sic debet illud idẽ per Deitatem deificari: est igitur Incarnatio ne Deitas in ipsa*

mundi creatione remaneat ociosa. Et in arb. quæst. quærit: *est tantum necessarius actus æternitatis in creando; sicut actus Divinæ voluntatis?* Et solvit: *si æternare non esset ita magnus actus in creando; sicut actus Divinæ voluntatis, qui est amare; Divina æternitas esset ociosa in creatura sua*: debet igitur esse Incarnatio: quoniā *maior actus, quem sapientia scire potest de æternitate in creatura, est, quod sciat vnam personam de æternitate, & creatura*, vt ait ibidem.

Dices postea: si Deus ex hypothesi, quod velit ad extra producere, necessitaretur ad Incarnationem: nō posset ad extra producere; quin vellet Incarnationem: atqui hoc est falsum; igitur.

Ad solutionem notandum, quód Deus (in Lulliana schola) primo suo decreto Christum, tamquam perfectissimum, & convenientissimum medium ad Divinas ostendendas perfectiones, tamquam nobilissimum, & summum opus ad extra, & tamquam caput, & finem omnium creabilium decrevit: ipsique secundo decreto Matrem tamquam medium necessarium assignavit; cui post Christum similitudines suas in gradu supremo constituit; vt docet Doctor in Apostroph. ad Deiparam Virginem, dicens: *Materque Domini mei, semper Augusta, cuius ea perpetuó dignitas extitit; (licet Adam nō peccasset) vt in Divino creādarū rerū concilio, tu præelecta, Virgo Deipara, cū Filio Christo inducta sis in primum illud decretum, quo Christus constitutus est Princeps, & apex omnium perfectionum, &c.*

Decrevit postea Deus Angelos, homines, & cæteras creaturas propter Christum; vt tamquam Dominum cognoscerent, tamquam Regi inservirent, tamquam capiti copularentur, & tamquam ad finem ordinarẽtur. Sic docet Doctor in lib. Natal. pueri parvuli Iesu cap. 17. vbi ait Divina æternitas: *mihi placuit ostẽdere mundo hunc Puerum temporalem, & æternum; mortalem, & immortalem; hominem, & Deum; vniversorum finem; cuius impediri nõ valeat actio: qui est ante omnes, & mecum in principio.* Addit: *& ipse mecum omnia composuit.* Et subdit: *in quo formata sunt vniversa.* Iuxta illud Pauli ad Hæbr. 1. *Loquutus est nobis*, Deus, *in Filio, quem constituit hæredem vniversorum; per quem fecit & sæcula.* Et 2. *decebat enim eum*, Iesum, *propter quem omnia, & per quem omnia, &c.* Ibidem: *omnia subiecisti sub pedibus eius.* Et ad Coloss. 1. *primogenitus*, Iesus, *omnis creaturæ: quoniam in ipso condita sunt vniversa in Cælis, & in terra, visibilia, & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt: & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.* Quo notato.

Dico, quod ita fuit moraliter necessaria Incarnatio ad productionem ad extra, seu ita moraliter debent dependere á Christo tamquam á capite, & fine omnes res, quod si primo decreto Deus non decerneret Christum; moraliter non posset condere mundum, nec vllam producere creaturam; licet physicé posset id ipsum. Sic docet, & probat Doctor in lib. disp.

Homer. Satr. part. 2. cap. 10 dicens: *sine Incarnatione Deus non posset se disponere ad creandum mundum, qui est finitus, & novus: sicut finis lucrandi vnum florenum, qui non sufficeret ad faciendam vnam navem, quæ constaret mille talentis: quia inter infinitum, & finitum, æternum, & novum nulla est proportio, sive dispositio. Ratio hujus est, quia finis vltimus non potest esse medium inter ipsa, nisi mediante coniunctione Divinæ naturæ, & humanæ, per Incarnationem facta. Et sicut dicimus de creatione, ita potest dici de gubernatione mundi in æterno, cuius finis nõ sufficeret ad durationem perpetuam absque Incarnatione.* Et cap. 36 *dictum est, quod iustitia est reddere vnicuique quod suum est: & dictum est de redditione intrinseca: modo autem intendo dicere de redditione extrinseca, cum qua intendo probare Incarnationem, & hoc sic: iustitia est, quod Divinus intellectus intellexisset altiorem finem mundi in creatione illius, quod maiorem illo non potuisset intelligere: nam aliter de habitu ignorantiæ esset habituatus, & per ipsum iniuriatus, quod est impossibile, & sicut dico de intellectu; ita dico de voluntate Divina, & etiam de bonitate, magnitudine, &c, & omnia ista fuerunt iusté: & hoc humanus intellectus rationabiliter non potest negare, posito quod Divina iustitia reddat vnicuiq; rationi Dei in creando quod suum est: sed Incarnatio fuit altior finis mũdi, quód maior non potest creari, vt per se patet: ergo.* Et in lib 5 sapient. part. 4. cap. 44. ait: *est igitur Incarnatio vt formæ Divinæ posuissent in creatione similitudines suas completé: nam per Incarnationem sunt sic perfecté*

poſitæ, quòd magnitudo creationem magis magnificare nõ potuit, nec bonitas bonificare, &c. quam quòd mundus creatus fuerit; vt aliquod eius particulare eſſet ita magnum, & ita bonum, quod eſſet cum natura Divina in vnitate coniunctum perſonæ, & deificatum, & Deus in illo homificatus. Ibidem: *mundus nõ fuit creabilis propter ſe ipſum: nam ſi fuiſſet, iam fuiſſet aliquid antequam eſſet, in quãtum foret dignus, quod eſſet creabilis propter ſe ipſum: ſed cùm hoc ſtare non poſſet; propter aliquid aliud exiſtit creabilis, ſcilicet propter aliquod eius particulare fore deificabile: ad hoc vt Deitas ponat in creationis intentione ſuam ſimilitudinem; ſicut ſuas imponit bonitas, magnitudo, &c.* Ibidem: *ſi Deus nõ creaſſet mundum propter maiorem finem; ſequeretur, quòd ipſum creaſſet propter minorem: & ſic quies mundi eſſet in minoritate finis; & eius labor in maioritate: ac voluntas Dei dilexiſſet in creatione minorem finem contra maiorem; quod eſt impoſsibile, ac extra magnitudinem bonitatis in amare, & complere: eſt igitur Incarnatio, vt Deus ad maiorem; non autem ad minorem finem creaverit ipſum mundum;* vt ſic ſummé oſtendantur perfectiones Divinæ.

Sed dices: ſi Deus moraliter non poſſet mundum condere ſine Incarnatione; conditio finita, qualis eſt mundi productio, impediret, vel limitaret poteſtatẽ Dei infinitam: igitur.

Reſpondeo, quod conſiderata poteſtate Divina per reſpectum ad eſſe creatum, abſolvitur Deus ab omni debito; ac ſubinde etiam in ſenſu compoſito cũ pro-

ductione ad extra, poteſt moraliter non velle Incarnationem: conſiderata vero eadem poteſtate per reſpectum ad Divinas perfectiones, quæ exigunt in mũdo ponere Incarnationem; moraliter tenetur Deus ſervare ſibi debitum; ac proinde poſito quod velit ad extra producere, moraliter non poteſt non velle Incarnationem. Sed de his latius dictum eſt in 1. tex. explicat.

Dices etiam: licet Divinæ perfectiones exigant opus facere nobiliſsimum; non tamen ſupra, ſed iuxta ipſius operis naturam: atqui Incarnatio eſt ſupra naturam vniverſi: igitur poteſt Deus mundũ condere abſque Incarnatione.

Reſpondeo, quod conſiderata potentia Dei ordinata ſecundum magnitudinem Divinarum dignitatũ, & ſimul ſecundum legem præfixam naturæ, poteſt Deus non velle Incarnationem: conſiderata vero potentia Dei ordinata, & regulata per plenitudinem Divinarum dignitatũ abſoluta á lege præfixa naturæ, moraliter non poteſt Deus Incarnationem non velle. Ac inde ſi vniverſum capiatur, quoad eſſe naturale præciſe, non includit Incarnationem; ſed ſi vniverſum capiatur pro collectione omnium operum ad extra, in illo neceſſario moraliter includitur Incarnatio; quia Divinæ dignitates exigunt, & quod Incarnatio includatur in illo, & quod omnia creata ſint propter Incarnationẽ, & omnia propter Deum, ſeu ad maiorem Dei oſtenſionem, & gloriam.

Dices præterea: Si Deus moraliter non posset aliquid ad extra producere, quin suo primo decreto Incarnationē decerneret; nec Angelos posset producere, quin Christū primo decreto decerneret: at hoc arguit naturam humanam Christi perfectiorem Angelorū natura; quod impossibile videtur: igitur.

Ad solutionem notandum, Doctorem nolle naturā humanam pro vt sic, seu in communi omniū excellentissimā. Constat ex lib. de phylosoph. amoris cap. 81. vbi ait: *esse humanum est optimum esse creatum, quod esse potest, excepto esse Angelico.* Et in lib. disp. Homer. part. 2. cap. 26. inquit: *Angelus est altior in natura, quā homo; tamen homo habet magis extensam naturam, quam Angelus; eo quia participat cum omnibus creaturis, in quantum est compositus de corpore, & anima; Angelus vero non, quia ille non est coniunctus.* Et in Art. mag. part. 9. sect. 2. de Angelo cap. 1. sic dicit: *Angelus autē quia altior creatura est, quā homo, &c.* Et infra: *Angelus namq; maiorem maioritatem habet quoad suam speciem, quam homo quoad suam.* Idem tenet passim. Quapropter Canonicus Belverius in sua Apologia dilutione anticimen 49. pro Art. 33. axiom. 1. ait: *existimatio ea* (videlicet quod humana natura omnium excellentissima sit) *non est Lulli: Lullus enim ita existimat de humana Christi natura hac, & singulari: adde etiam de natura semper Sanctæ Deiparæ Virginis.* Ac P. Busquets in suo memor. Art. 33. ad 1. Eimerici propos. quæ est: *esse humanum est nobilius esse, quod Deus creavit,* ait: *pro prima*

quidem propositione faciunt, quæ Dr. Antonius Belverius disputat in sua Apologia pro hoc Art. percont. 1. & 2. quæ vnum ex præcipuis continent Lullicæ doctrinæ fundamẽtis; & lectu digna sunt, & lucis multum adferunt huic argumento. His positis.

Dico: quod natura humana Christi, hæc, & singularis, non solum secundum vnionis excellentiam, & in gratia iustificante, & gloria; sed etiã in natura, in gradu singularis, seu privatæ perfectionis, ratione istius, est quolibet præstantior Angelo. Can. Belver. in Apolog. respons. ad percont. 2, in 33 Art. axiom. 4. sic ait: *Lullus humanam Christi naturam nõ solum supra Angelos, & alia omnia condita in omni perfectionis genere evehit; sed tantam in ea perfectionem agnoscit, quãtã potuit á Deo naturæ creatæ conferri*, in gradu scilicet singularis, seu privatæ perfectionis. *Scotus*, ait Belverius, *de summa natura, an sit, relinquit in dubio, in 3. enim dist. 13. quæst. 2. ad 3. in oppositum quod ita habet*, summa natura non est facta; ergo nec summa gratia; *respõdet his verbis:* ad 3. respondeo, quod si concedatur antecedens (quod tamen videatur dubium contra auctoritatẽ Augustini de libero arbitrio)potest negari consequentia. *Est quod merito dicat cum Scoto Lulliana doctrina in 3. dist. 13. in respons. ad quæst. 2.* in commendando Christum malo excedere, quã deficere á laude sibi debita, si propter ignorantiam oporteat in alterum incidere Hæc Scotus. Prædictum autẽ axioma probat Belverius Pauli auctoritatibus: ad Hæbr. 1. *tãtó melior*

Angelis effectus, quantó differentius præ illis nomẽ hæreditavit. Ad Ephes. 1. *Suscitans illum á mortuis, & constituẽs ad dexterã suam in Cælestibus supra omnẽ Principatũ, & Potestatem, & Virtutem, Dominationem, & omne nomẽ, quod nominatur nõ solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro: & omnia subiecit sub pedibus eius.* Ad Coloss. 1. *vt sit in omnibus ipse primatum tenens: quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare.*

Rationibus sic probat 1. *Omnis natura ad finem nobiliorem destinata nobilior est: atqui humana Christi natura est ad finem longé nobiliorẽ destinata, quã Angelica, & reliquæ omnes: ergo est nobilior. Propositio est manifesta; nã ex fine tota rei perfectio pendet, & nobilitas, quod si non, nulla superest via concludẽdi perfectionẽ in rebus. Assumptio ita ostenditur; finis humanæ in Christo naturæ est, vt de illa Deus sit homo; finis autem naturæ Angelicæ est hæc hypostasis, vel illa creata.*

2. *Christi anima summam gratiam habet: summã ergo & naturam. Antecedens receptũ est, & patet Ioan.* 1. vidimus plenũ gratiæ, & veritatis. *Et Ioan.* 3. datus est ei spiritus nõ ad mensuram. *Illatio probatur, aut collata est summa gratia iuxta meriti captũ, aut naturæ, aut supra captum: nõ supra captum; nihil enim recipere aliquid potest, nisi fuerit illius capax: nõ iuxta meriti captũ, cum extra illud collata sit ea gratia: ergo iuxta captũ naturæ: maior est igitur in Christo natura.*

3. *Voluntas Divina humanam Christi naturã plus dilexit: ergo potestas Divina plus exaltavit. Consequutio pro-*

batur ex summa inter Divinas perfectiones concordia: alioqui quod impensius volũtas diligeret illud potestas minus perficeret; & quod sublimiùs potestas eveheret, minus voluntas diligeret. Dices ad antecedẽs, plus dilexisse in esse gratiæ. Ostendã & plus dilexisse in esse naturæ. 1. nullus maior amor, quã velle ipsum esse amatum: at Deus ita illã dilexit naturam, vt eã sibi hypostatica vnione cõiunxerit: illam ergo plus in esse naturæ dilexit. 2. probatio amoris exhibitio est operis: Deus autem plus naturæ assumptæ, etiam seclusa gratia, exhibuit, quam Angelicæ: vã esse suum personale contulit ei: eam ergo plus in esse naturæ dilexit. 3. nisi sic, sequeretur, quod minus dilecto maius donum contulisset, vtputa naturæ minùs dilectæ summã gratiã: concluditur ergo, Christi naturam præstantiorem aliis esse; quod enim præstantius est, diligibilius est.

4. Omnis natura incorporea habens intellectum, & voluntatem nobiliores, quam alia, est ipsa nobilior naturæ nobilitate: atqui anima Christi intellectũ habet, & voluntatẽ nobiliores: ergo est in natura nobilior. Propositio est manifesta, in hoc enim est sita incorporeæ naturæ nobilitas. Assumptio probatur, illa volũtas est excellentioris naturæ, quæ ad excellentius opus est apta nata: nam operatio est finis potentiæ, & ex operationis perfectione colligitur perfectio potentiæ: volũtas autem Christi ad maiorẽ dilectionẽ est apta nata; quippe quæ ad summũ dilectionis gradũ pervenerit: cõcludamus iã ex omnibus his, animã Christi esse quolibet Angelo in natura perfectiorem, in gradu scilicet singularis, seu privatæ perfectionis.

Totum docet Dr. in 2. sent. quæst. 48. vbi quærit: *vtrum natura humana in Christo sit nobilior natura Angelica, secũdum quód cõsideratur in puris naturalibus*, hoc est hæc, & singularis Christi natura, nõ solũ secundum vnionis excellentiã, & in gratia iustificante, & gloria; sed etiã in natura, in gradu singularis, seu privatæ perfectionis, ratione istius. Et affirmativé concludit: sic autẽ probat conclusionẽ: *oportet, quod illa natura, quæ nobilior est, sit nobilior per maiorẽ magnitudinẽ bonitatis, sapientiæ, volũtatis, virtutis, veritatis, & gloriæ; sine quarum maiore magnitudine, nulla natura posset esse maior alia: vnde sicut Divina volũtas plus diligit naturã humanam Christi, quam naturã Angeli; sic oportet, quod magnitudo Divina plus magnificet naturam humanã Christi, quam naturam Angeli: alioquin Divina magnitudo deficeret maiori amabilitati naturæ humanæ Cristi; sed nõ Divina volũtas: & Divina magnitudo plus participaret in magnificãdo cum natura Angeli, quã cum natura humana Christi: & sic inter volũtatem Divinam, & magnitudinẽ esset alteratio, & cõtrarietas propter naturã humanã Xpi, & propter naturã Angeli, quod est impossibile: cũ omnia Divina attributa æqualiter concordãtiam habuerint, & habeãt in Incarnatione Filii Dei, absq; omni contrarietate. Vnde sequitur, quod sicut Deus magis diligit naturã quã assumpsit, quã illam quam nõ assumpsit, & etiam quam omnes naturas creatas; sic magis ipsam magnificavit, & exaltavit per magnitudinẽ; & per consequẽs per potestatẽ, bonitatem, sapientiã, virtutẽ, &c.* Et in ar b. Christ cap.

de branch. loquens de Christi humanitate, ait: *quód maior creatura esse nõ potest: quoniam omnes aliæ creaturæ creatæ sunt propter illã; & ipsa cõiuncta est cũ fine brãchæ Divinæ.* Et in lib. 5. sapient. part. 4. cap. 44. inquit: *est igitur humanitatis in Deũ assumptio, vt sit vna singularis creatura nobilior omnibus aliis creaturis.* In lib disp. Homer. part. 2. cap. 17. ita habet: *& sic quãdo Deus creavit mũdum, ideo magis se habuit ad creandum vnã substantiam supremã ad omnes alias substãtias creatas, quam ad omnes alias substantias nõ supremas. Et hoc rationabiliter intellexit suus intellectus, & hoc idem amare voluit sua volũtas, ratione vnitatis substãtiæ Divinæ, & vnitatis substãtiæ creatæ sublimis, vt se respicerẽt vnitæ in sublimitate.* Ac cap. 18. dicit: *vnde sequitur Incarnatio Divina, in qua sunt duæ bonitates coniunctæ, ita altæ, quod altiores esse nõ possunt; & omnes aliæ bonitates inferiores ad illas duas sunt ordinatæ, sicut effectus ad suas causas.*

Et de Maria loquens ait lib. 2. contempl. dist. 11. cap. 54. *magna est Domine ordinatio tua, & tua sapiẽtia: nam sicut essentia tua Divina est suprẽmũ esse in bonitate, & virtute; ita, Domine, placuit tibi incarnari in meliori esse, quod sit post tuũ: te enim excepto, quotquot bonitates fuere, & erũt õnes neutiquã sufficiũt, nec attingũt ad bonitatem, & nobilitatem Dominæ Nostræ Sanctæ Mariæ.* In lib. de laudibus B. M. cap. 3. ita habet: *Regina Mater Dei, tu es maxima, tuusq; Filius maximus; & omnia quæ tua sunt, & Filii tui, sunt in bonitate maxima.*

De nobilitate naturæ intellectus, & voluntatis Xpi

sic loquitur in arb. Christ. cap. de ramis: *rami arboris Domini Iesu Christi respectus sunt, quos habet ambæ naturæ, sicut voluntas Divina, & voluntas humana, quæ se respiciũt in amare, & intellectus Divinus, & humanus, qui se respiciũt in intelligere, & æternitas Dei, & memoria Dñi Iesu Xpi, quæ se respiciũt in recolere. Vnde cũ ambæ naturæ sint ita magnæ, quis cogitare posset, dicere, vel scribere magnitudinẽ ramorum? quoniam volũtas humana tãtum diligit Divinam, quòd si omnes volũtates creatæ vnitæ essent in vna volũtate, illa voluntas tantum diligere nõ posset, sicut volũtas Dñi Iesu Xpi diligit Divinã volũtatẽ: quæ volũtas Divina tantum diligit humanã, quod ipsam plus diligere nõ potest; est ergo ita magnũ illud amare, quod Divina volũtas habet ad humanam; quod potestas Divina, quæ est infinita, in illa est terminata; in quãtum multiplicare nõ potest maius amare inter Deũ, & creaturam,* (non quoad seipsam; sed quia deficit subiectũ multiplicationis, seu creaturæ capacitas) *in quo termino habet quietem, ita, sicut voluntas cuiuslibet naturæ quæ quietẽ habet in illo maiori amare. Et hæc eadem quies consistit in intelligere, & recolere ambarum naturarum.*

De Maria in lib. de laud. eius cap. 3. sic loquitur laus: *secũdum ergo quod in te existit maxima natura memoriæ, & intellectus, & amoris; oportet te habere maximum recolere, intelligere, & amare, secũdũ quod Filius tuus dignus est recoli, & intelligi, & amari magnitudine bonitatis, perseverãntiæ, potestatis, & sapiẽtiæ: cũ ergo tu, Virgo Regina, tã maxima, & excellẽtissima sis natura, & per-*

fectione memoriæ, intellectus, & volūtatis, & tuus Filius tam dignus sit recoli, intelligi, & amari, quomodo possem ego misera tātam magnitudinem tuā laudare? quam habes recolendo, & intelligendo, & amādo.

P. Marçal in summa Lull. lib. 2. resol. 48. hanc ponit cōclusionē: *natura humana Christi est nobilior, quam natura Angelica, secūdum quod consideratur in puris naturalibus*, id est hæc, & singularis Christi natura, non solū secundum vnionis excellentiā, & in gratia iustificante, & gloria; sed etiā in natura, in gradu singularis, seu privatæ perfectionis, ratione istius. Et probat sic: *Divinæ dignitates sunt æquales: sed Divina volūtas magis diligit naturā humanā Xpi, quā Deus assumpsit, quā naturam Angelicā, quam nō assumpsit: ergo Divina bonitas magis bonificat illam, magnitudo perficit, &c. ac proinde nobilior est.* Et lib. 3. resol. 108. ait: *á sūmitate gratiæ sūma est natura assumpta, nec maior esse potest; aliás nō esset proportio inter habitum, & subiectum.*

Addit: *Beatissima semperq; Virgo Maria Mater Xpi est nobilior, quā natura Angelica, considerata in puris naturalibus*, hoc est hæc, & singularis Mariæ natura, nō solum secundum dignitatem Deiparæ, & in gratia iustificante, & gloria; sed etiam in natura, in gradu singularis, seu privatæ perfectionis, ratione istius. Et probat sic: *quó aliquid accedit ad perfectissimū, eó est perfectius: sed natura humana Christi est omnium creaturarū perfectissima, & ad illam magis accedit Maria; quia veré Mater: igitur post Christū est perfectior.* Subdit: *quāplurimas*

apud

apud Doctores invenies auctoritates ad probãdum conclusionem prædictã; & maximé apud Ill. Ray. Lull. Nec obstat dicire illas nõ intelligi de Maria in naturalibus cõsiderata, sed gratiæ donis formaliter ornata. Nã hinc simile debes cõficere argumentum ex Divinarum dignitatum æqualitate desumptũ, illi, quo conclusione antecedẽti probavimus humanitatem Christi esse nobiliorem natura Angelica. Quó enim maius est gratiæ donum perficiẽs naturam Mariæ, eó maior ostenditur amor, quẽ erga illam naturã Deus habet, cui maiora dedit dona: sed quãtum crescit amor, tãtũ etiã crescunt similitudines aliarum dignitatum: ergo ad perfectiorem gradũ, perfectissimo immediatũ, nobilitas accedit Mariæ, etiã in naturalibus inspectæ, quia dignitate Matris Christi perficiẽdæ. Et inferius ait: *in Maria ita collecta est omnis Sanctorum perfectio, vt ipsa sit reliquis omnibus perfectior, nõ solum divisivé; sed etiã collectivé: ergo in homine sic collecta est omnis creatura, vt in aliquo homine natura humana sit omnibus creaturis perfectior, collectivè, & de facto in Xpo, & in Maria post Christũ; divisivé autẽ, & de possibili, in aliquibus hominibus.*

Dices: si anima Christi Angelis præstat naturæ perfectione, præstarent itidem & omnes animæ.

Respondeo, quod Xpus (& sic de Virgine Deipara) potest Angelos naturæ excellentia vincere, & nõ alii homines: non quidẽ quá homo præcise, seu in prædicatis humanæ naturæ communibus; sed quá hic, & singularis homo, seu in gradu singularis, seu privatæ perfectionis. Pro hoc, Belver. loc. cit. dilut. anticimẽ

50. pro art. 33. in responſ. ad 2. confirm. duas opiniones conſtituit. Opinio 1. *omnes animæ rationales eiuſdẽ ſunt ſpeciei: nihil hominus tamẽ vnũ indiuiduũ poteſt alio eiuſdem ſpeciei perfectius eſſe in naturalibus, individuis, & ſingulis; nõ autem eſſentialibus, & quidditativis, inter quæ ſolũ eſſentialis ordo attenditur: vt ſubtiliſsimé explicat Ant. Trombeta in 5. metaph. quæſt.* 5. conſequitur enim differentiam ſingulam arctantẽ, & actuantẽ naturam ſpecficiã (quæ quidẽ differentia conſtituit vnũ per ſe cũ natura ſpecifica) quidã & certus gradus naturalis perfectionis individuæ, maior in vno individuo quã in alio: quemadmodum differentiam ſpecificam conſequitur certus gradus perfectionis eſſentialis, & quidditativæ, per quem vna ſpecies eſt nobilior alia, vt eſt manifeſtum. *Et proinde natura humana in vno individuo poteſt, quoad huiuſmodi individuũ gradum, præſtãtior eſſe, quã in alio; & quã natura Angelica in quocũque ſingulari, quoad illiusmodi gradum. Aio*, inquit, *iuxta primã opinionẽ, nõ omnes animas in naturalibus paria agere, vt Lull. habet in quæſt. Art. invẽt. & demõſt. quæſt. 65. & ſuper ſent. quæſt.* 18. *Et ſi quis obiiciat, vnũ individuũ nõ eſt alio eiuſdem ſpeciei excellentius: dic: nõ eſt in quidditativis, & eſſentialibus: in ſingularibus autem eſſe põteſt.*

Altera opinio: *Animæ rationales nõ ſunt eiuſdẽ ſpeciei, ſed quælibet eſt ſuamet ſpecies, perinde atq; Angelus.* Pro quo notanda veniunt quæ cum omnibus Lulliſtis docet Belverius in dilut. anticimen. 51. axiom. 1. ſic dicens: *duplicia ſunt vniverſa apud Lullum, alterũ rationis,*

&

& naturæ alterũ. Vniversum rationis (*quod quidem fori est dialectici*) *est quod cõsideratione est in multis, & prædicatione effertur de multis. Vniversum rei, & quod ad physiologum pertinet, describitur ita: aut quod re vera est in multis, & re vera impertitur multis; aut massa cõmunis, quæ re ipsa manet, & est apta, vt re ipsa multis impertiatur*, manens in illis positivé communis. Et axiom. 4. *Species vt rei vniversum est massa, quæ est re ipsa distribui apta multis individuis: & hæc est rei species, & naturæ. Altera, quæ prædicationis est, rationis appellatur, & per assimilationẽ á Lullo in proverb. part. 2. cap. de Angelo.* Hinc axiõ. 6 sic ait: *substãtiæ incorporeæ eiusdem speciei dici possũt dialecticé, ratione videlicet, prædicatione, & per assimilationem.* Et axiom. 7. *quælibet anima rationalis est suamet species, loquẽdo de specie physica, & rei.* Idem docet P. Marçal in sum. Lull. lib. 2. resol. 61. vbi concedit vniversum rei, seu ante rẽ; & quod quælibet anima est suamet species numero, & subiectivé. Et resol. 59. quod omnes animæ ad invicẽ conveniunt obiectivé in specie athoma. Ill. Dr. lib. de anima rationali cap. de 3. specie reg. vtrum. §. 8. ita habet: *nec Angelus bonus, nec malus possũt animã ratinálẽ destruere, vel interficere; cũ sit ita quod nulla substãtia, quæ sit tota suamet species, possit destrui per similem substãtiã, quæ sit sua species: quoniã nulla creata species destruit aliã.* Et lib. de error. phylosoph. Art. 124. obiicit sortes, *quod inconveniẽs est ponere aliquos intellectus nobiliores aliis; quia cum ista diversitas nõ possit esse á parte corporũ, oportet*

tet quod sit á parte intelligẽtiarum: & sic animæ nobiles, & ignobiles essent diversarum specierũ, sicut intelligẽtiæ. Et solvit Dr. sic: *supposito quod Deus moveat animas in creãdo de novo, nõ est inconveniẽs producere animas inæquales nobilitate, existẽti qualibet anima suamet specie, & quod Deus immediaté ipsas moveat de nõ esse ad esse, faciendo vni maiorem gratiam, quam alii.*

Specificã inter animas distictionẽ probat Belver. loco cit. in respons. ad 5. percont. axiom. 2. sic: *Angeli sũt diversæ speciei: ergo & animæ itidẽ. Collectio probatur, nõ est potior ratio de Angelo, quã de anima, vel assignetur. Dici nõ potest aptitudo, vt corpori cõiungatur: nã nullum posterius constituit, mutatve speciem in priori: aptitudo autem ad corpus posterior est substãtia ipsius animæ.* Probat deinde sic: *species vel dialecticé sumitur pro notione, vel obiecto communi, & prædicabili: huiusmodi autẽ prædicationis communitas nõ tollit, quin ipsa re animæ possint esse perfectione inæquales. Vel sumitur phisicé, pro natura, quæ & re ipsa est, & re ipsa multis est impertiri apta: & hoc modo animæ nõ possunt sub eadẽ specie esse. Tum quia anima gignere posset. Tum quia in carentibus pugna, & lite idem est individuum, & species: tunc enim, nullo obstãte, tota natura specifica in vno individuo exhauritur, vt in Angelis patet, astris, & planetis. Ex his plané colligitur, postquã animæ sũt diversæ speciei, & sic impares in natura, animam Christi naturæ perfectione nobilissimam esse, & summã.* Et dilut. anticimen. 52. in respons. ad 4. ait: *tota ratio, & causa, cur animal potest animal procreare in*

massis præiacẽtibus sita est; in hoc scilicet, quod animal habet præiacẽtẽ massam, ex qua potest aliud animal educere. Contra, tota ratio cur anima rationalis aliam gignere nequeat, est, quod qualibet est suamet species, nec habens ex quo educat: nõ enim potest é nihilo, nec ex sua potest natura, quæ omninò singula est, & impertiri neutiquam apta. Habetur hæc ratio ex lib ascen. & descen. intell. cap. de specie Angel. vbi ait Dr. *quia Angelus est vnũ individuum nõ genitũ, neq; productum per alium Angelum; & illa quæ sunt sub eadem specie, sũt productibilia, & generabilia, cognoscit intellectus, quod Angeli nõ sunt sub eadem specie contẽti.* Habetur eadem ratio ex 2. part. proverb. cap. de Angelo, vbi ait: *Si quilibet Angelus cũ sua specie nõ cõverteretur, esset per corruptionẽ, & generationẽ.*

Dices: ex data doctrina duo subnascuntur absurda. Primũ: homines non essent eiusdẽ speciei. Secundum. pugnat ea opinio cum omnibus scholis.

Ad 1. respondet Belver. loc cit. sic: *homines eiusdem sunt speciei phisicæ, & rei quoad corpus; nã quoad illud á massa præiacẽti re ipsa communi dependẽt: quoad animum dialecticé, rationis, & prædicationis.* Vel dic cũ P. Marçal. in sum. Lull. lib. 2. resol. 59. *quod anima reductivé stat sub specie hominis, cuius est pars.* Quod docet Dr. in 2. sent. quæst. 59. dicens: *in quãtum anima per se est suamet species, & de nihilo producta, &c.* Et superius: *existente anima sub specie hominis: Angelo vero sub nulla specie existente.* Ad 2. respondet Belver. loco cit. sic: *cum nulla schola pugnat: vam sub eadem specie prædicationis*

 cõsti-

constituit, sub eadem finitione cõcludit, sub eadem ratione comprehẽdit. Et P. Rod. de Arriaga in cursu phylosoph disp. 1. de anima sect. 7. subsect. 2. posse dici, tenet, licet diversimodè, vnam animam rationalem differre posse specie ab alia.

Hinc Belverius dilut. anticimen. 50. in respons. ad 2. confirmationem inquit: *iuxta alterã opinionem Lullicoterã aio, differẽtiam esse specificã inter animas rationales, æquè atq; inter Angelos, & proinde aliã aliis in essentialibus præstare*: non quidẽ in communibus obiectivè animæ prædicatis; sed in gradu privatæ perfectionis essentialis, ratione istius. Et his ita constitutis opinionibus, concludit sic: *quare si affirmetur, animas rationales eiusdẽ esse speciei, nulla est pugnãtia, vt vnum individuum in gradu singularis perfectionis, sit alio eiusdẽ speciei præstantius, & quocumq; Angelo in illomet gradu. Si affirmatur, quãlibet esse suam speciẽ, tunc nihil est scrupuli, quominus vna anima rationalis alterã, & quemcũq; Angelum naturæ perfectione antecellat*, nõ in prædicatis animæ obiectivè communibus; sed in gradu privatæ perfectionis essentialis, ratione istius.

Tandẽ loc. cit. in respons. ad 5. percont. axiom. 1. ait: *anima Christi est in substãtia sua, & natura perfectior, quam aliæ animæ. Hoc axioma probatur 1. testimonio scholæ Parisiensis, cuius hæc est censura*: Itemq; inconveniens est ponere aliquos intellectus nobiliores aliis; quia cum illa diversitas non posit esse à parte corporum, oportet, quod sit à parte intelligentiarum: & sic

animæ

animæ nobiles essent necessarió diversarum specierũ, sicut intelligentiæ. Error: quia sic anima Xpi nõ esset nobilior anima Iudæ. *Dices, articulum Parisient. intelligẽdum esse de puris naturalibus accidentariis. Respõdeo in primis, quis id in dubium vertit, vt opus fuerit ea censura? Deinde intelligi nõ potest de accidentariis: illi enim ex maiori nobilitate colligebant, animas diversarum fore specierum, vt sunt Angeli: accidẽtaria autem nullo modo speciem mutant.* P. Rod. de Arriaga loc. cit. tenet animas rationales posse esse inter se magno excessu, & notabili differentia, intensivé, essentialiter, & substãtialiter inæquales. Quod idem tenet Dionis. Cister. in 2. dist. 1. quæst. 3. Art. 3. & puncto 1. dicens: *Duplex est perfectio creaturæ scilicet essentialis, & accidẽtalis: perfectio essentialis est, quæ cõvenit cuilibet individuo alicuius speciei secundũ suam specificã differentiã, cuiusmodi est perfectio hominis, secũdum quod homo: & hoc potest dupliciter mẽsurari, scilicet extensivè quoad numerũ requisitorum ad hominem, & sic nullus homo est perfectior alio homine. Alio modo potest mẽsurari intensivè, pro vt vna forma substantialis individui, sicut anima Christi est perfectior essẽtialiter, secũdum aliquos, in specie sua anima Iudæ: & sic etiam perfectione essentiali vnus homo est perfectior alio.* In idem accedit Ioan. Vital. lib. 2. de conceptu Virg. quæst. 6. Et lib. 1. quæst. 10. ait: *Secũdus Adam excellebat primum quoad imaginem, & similitudinem: quia nedum in gratuitis, sed etiam in naturalibus fuit altior, & nobilior, sicut vna anima altior alia.* Idẽ amplectitur

Georgius Venetus in harmonia cantico 3. ton. 2. cap. 2. *dixerunt*, inquit, *Peripatetici; omnes animas productas fuisse æquis gradibus, & produci: ducti sentẽtia ipsorum præceptoris, qui in superiori phylosophia inquit: species se habẽt sicut numeri, in quibus vno variato mutatur species: nam si ternario addatur vnus, fit quaternarius, & sic de aliis. Novitiores tamen Parisienses Theologi in Articulis ipsorum decreverũt, animas differe, nõ tãtum accidẽtibus, sed gradibus quibusdã intrinsecis, radicatis in essentia ipsarum, quibus vnaquæq; res est hæc, differens ab alia, per illud, quod est ipsi propriũ, hoc decernẽtes, quod qui dixerit, animã Petri nõ esse perfectiorem gradu illo suo intrinseco, quam anima Iudæ, sit in errore.* Idẽ tenet Caietanus in comment. in 1. part. D. Thom. quæst. 85. Art. 7 substantialẽ inter animas inæqualitatẽ constituens, & cõtendens esse ad mentem D. Tho. Idẽ asserit Geraldus Odonis lib. 3. sent. dist. 13. P. Marçal in summa Lull. lib. 1. resol. 18. Et Illustriss. Caramuel, in concep. Evãg. pag. 264. num. 731. ait: *Mariæ animã substãtialiter supptam fuisse anima Christi ignobiliorẽ, at nobiliorẽ reliquis, ita vt quãtum gratia excedit, tãtum etiam excederet naturæ suæ perfectione, & substantia.*

Dices dinde: quælibet anima est inferior Angelo, quoad prædicata communia: igitur & in gradu singularis, seu privatæ perfectionis: cum hæc sequatur perfectionem naturæ communis.

Respondeo, quod perfectio naturæ cõmunis mẽsura nõ est singularis, seu privatæ perfectionis: alioqui

vnus Angelus alii non posset præstare, nec vna anima alteri. At P. Rod. de Arriaga, cum aliis loc. cit. concedit, posse dari viginti millia animarũ inæqualiũ inter se, ita, vt omnes se gradatim excedant.

Dices præterea: stat contra Dris. sententiã illud psal. 8. *minuisti eum paulo minus ab Angelis*: igitur.

Respondet Belv. dilut. anticimen. 50. in responsi. ad 1. confir. *quod Xpus imminutus præ Angelis dicitur quoad susceptæ vitæ huius humanæ incommoda.* Et colligit ex Paulo ad Hæbr. 2. *eũ autem qui modico, quã Angeli minoratus est, videmus Iesum, propter passionem mortis.* Et probat ex Amb. super hunc locũ. Et ex Aug. auctorit. quæ infra. Addit quod *Christi imminutio præ Angelis potest intelligi quãtũ ad corpus, vt annotasse videtur Aug.* citandus. Item *pauló minús*, inquit, *ad tempus referri potest, vt valeat pauló minús, nõ dignitate, & perfectione, sed brevi temporis spacio, nimirũ ad mortẽ vsq;* Itẽ ad naturam referri potest, quoad prædicata communia, licet in gradu singularis, seu privatæ perfectionis ad naturã non referatur. Patet ex Glos. super auctorit. Hæbr. 2. vbi dicit, quód Christus *minor Angelis fuit propter humilitatem carnalis generationis, atq; passionis, nõ propter naturam humanitatis.* Et pauló infra: *Christus ergo corpore, nõ mente fuit minor Angelis.*

Pro 2. tex. explicat. tria principalia dicta sunt. 1. quod Deus est moraliter necessitatus ad incarnationẽ, ex hypotesi, quod velit ad extra producere. 2. quod moraliter non potuit aliquid ad extra producere, quin

ſuo primo decreto decerneret Chriſtum. 3. quod natura humana Chriſti, hæc, & ſingularis (& ſic de V. Deipara) eſt natura perfectior in gradu ſingularis, ſeu privatæ perfectionis qualibet Angelica natura. 1. cōfirmat P. Granado. 1. & 2. D. Syril. Alex. Concilium Francofor. & D. Aug locis cit. in 1. tex. explicat. 3. confirmat Geraldus Odonis, qui *ea de re* ait Belverius, *latiſsima concertatione diſcerens lib. 3. ſent. diſt. 13. in Lulli iudicium manibus, pedibuſq; accedit.* Confirmant itidem præcitati Dres. Georg. Venetus in harmonia cant. 3. tono 3. cap. 2. abſoluté præfert Angelis naturā humanā; & in hoc erravit certé. Sed addit, quod anima Chriſti eſt Angelis nobilior, etiam per naturam. Quod ſi intelligat in gradu ſingularis, ſeu privatæ perfectionis, ſive vt ipſe loquitur tono 2. cap. 2. gradu illo ſuo intrinſeco, radicato in eſſentia ipſius quo anima Chriſti eſt hæc, differens ab aliis per illud quod eſt ipſi propriū, optimé dixit, & Dris. confirmat ſentētiā.

Confirmat D. Aug. tom. 6. lib. 3. contra Maximinum cap. 25. vbi hæc aurea ſcribit verba: *Quod autem tibi videtur nihil magnum de Deo Patre dici, ſi forma ſervi maior eſt, quia maiores videntur & Angeli: non rectè cogitas, quem locū in rebus habeat humana natura, quæ condita eſt ad imaginem Dei. Maiores Angeli dici poſſunt homine, quia maiores ſunt hominis corpore: maiores ſunt & animo, ſed infirmo, quē peccati originalis merito corruptibile aggravat corpus. Natura vero humana, qualē naturam Chriſtus humanæ mentis aſſumpſit, quæ nullo peccato*

potuit

potuit depravari, solus maior est Deus: Denique propter quod dictum sit Psal. 8. minorasti eum pauló minús ab Angelis: *aperuit Scriptura Hæbr.* 2. *vbi legitur:* eũ autẽ modico minus, quã Angelos minoratũ vidimus Iesũ, propter pasſionẽ mortis. *Non ergo propter naturã hominis, sed propter pasſionẽ mortis. Natura vero hominis, quæ mente rationali, & intellectuali creaturas cæteras antecedit Deus solus est maior.*

Et P. Pelbartus de Themesvvar in Theol. Rosar. lib. 1. circa finẽ fol. 229. verbo Christus. §. 1. quærit: *quomodo Christus dicitur minoratus ab Angelis, iuxta illud psalm.* 8. minuisti eũ pauló minús ab Angelis, & *Hæbr.* 2. modico ab Angelis minoratus est, *scilicet Xpus.* Et cõtra hæc arguit, *quia Glos. super auct. Hæbr.* 2. *dicit;* quod natura humanæ mẽtis, qualẽ Xpus assũpsit, quæ nullo peccato potuit inquinari, solus Deus maior est. *Hæc Glos. Respondetur,* inquit, *secundũ Bonav. in* 1. *dist.* 6. *q. litterali concord. Rich. quod de Xpo. loqui possumus in comparatione ad Angelos quãtum ad quatuor.* 1. *quantũ ad gratiam: & sic est simpliciter maior omnibus, vt dicit Glos. in arg. contra* 2. *quantũ ad naturã mẽtis, vel animæ: & sic saltẽ nõ fuit minor Angelis Xpus: quia Glos. vbi supra dicit:* minor Angelis fuit Christus corpore, nõ mẽte. 3. *quãtum ad naturã corporis: & sic minor fuit Xpus, secundũ naturã corporis assumptã Angelis; sed secundum vnionis excellentiã fuit simpliciter maior.* 4. *quantum ad naturã pasſibilitatis: & sic etiã fuit minor, & ideo dicitur,* modico minoratus: *quia status pasſibilitatis pauló*

postea in statum gloriæ, & honoris per resurrectionẽ Christi erat convertendus.

Illustris. Caram. in concept. Evang pag. 26 nũ. 54. ait: *veré summa est Maria, & aggregatũ omniũ illarũ perfectionũ, quæ reperiuntur divisæ in aliis.* Et pag. 253. nũ. 690. de Maria loquens dicit: *igitur, si immediata Deo, summa est, & Angelis vniversis superior.* Et pag. 252. n. 688. *nã in illa relucet Deus, quá auctor naturæ; in illa relucet, quá auctor gratiæ. Nã si dona naturalia contemplor, Maria omniũ creaturarũ Princeps est: & si gratias supernaturales Imperatrix:* Et pag. 269. num. 742. concludit: *Maria reconditoriũ est omniũ virtutũ, & gratiarum, tam naturaliũ, quã supernaturaliũ.* Et S. Epiphanius in orat. de laud. Deiparæ illi dicit: *solo enim Deo excepto, cũctis superior existis naturá, formosior es ipsis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico.*

Deniq; tria principalia quæ dicta sunt pro 2. tex. explic. confirmat V. M. Maria de Iesu de Agreda part. 1. lib. 1. cap. 5. ita habens: *lo q̃ ordenó,* Dios, *fué q̃ la persona de el Hijo se humanasse, y de esta humanidad Deificada començasse el ordẽ de el querer Divino, y de sus decretos, y q̃ fuesse cabeça, y exemplar de todos los demas hõbres, y criaturas, y á quiẽ todos se ordenassen, y subordinassen, porq; este era el mejor ordẽ, y concierto de la armonia de las criaturas, aver vno q̃ fuesse primero, y superior, y de alli se ordenasse toda la naturaleza, y en especial la de los mortales. Y entre ellos la primera era la Madre de Dios hombre, como la suprema pura criatura, y mas inmediata á Xpo, y*

en el á la Divinidad. Latiné: *quod ordinavit Deus, fuit, quod persona Verbi humanitatē assumeret: & ex hac Deificata humanitate ordo inciperet Divinæ volūtatis, & decretorū, & quod foret caput, & omniū aliorū hominū, & creaturarū exemplar, & cui ordinarentur, & subordinarentur omnes; nā iste melior erat ordo, & concētus harmoniæ creaturarū, quod vnus esset primus, & superior, & ex eo tota ordinaretur natura, & mortalium specialiter. Et inter illos prima erat Dei hominis Mater, veluti suprema pura creatura, & immediatior Christo, & in illo Divinitati.* Et inferius ait: *antes fuerō Hijo, y Madre, q̄ todos los ordenes Angelicos; paraq; se entiēda, q̄ si David dixó en el psal.* 8. q̄ es el hombre, ó el hijo del hombre, que tu Señor te acuerdas de el, y le visitas? Hizistelo poco menos q̄ los Angeles, &c. *entiendā, y conoscā todos q̄ ay hōbre, y Dios iuntamēte, q̄ es sobre todos los hōbres, y los Angeles, y q̄ son todos inferiores, y siervos suyos; porq; es Dios, siendo hombre superior: y por esto es primero en la mente Divina, y en su volūtad, y cō el esta jūta, y inseparable vna muger, y Virgē purissima Madre suya, superior, y Reyna de toda criatura. Y si el hombre (como dize el mesmo psal.)* fué coronado de honrra, y gloria, y constituido sobre todas las obras de las manos de el Señor, *fué, porq; Dios, y hōbre su cabeça le mereció esta corona, y la q̄ los Angeles tuvierō. Y el mismo psal. añade despues de aver disminuido al hōbre á menor ser q̄ los Angeles,* q̄ le puso sobre sus obras; *y tambiē los mismos Angeles fuerō obra de sus manos. Y assi David lo cōprehendio todo, diziendo, que*

hizo poco menores á los hombres, q̃ á los Angeles; pero aunq; inferiores en el ser natural, avia algũ hombre, q̃ fuesse superior, y cõstituido sobre los mismos Angeles, q̃ erã obra de las manos de Dios. Y esta superioridad era por el ser de la gracia; y no solo por la parte de la Divinidad vnida á la humanidad, mas tambiẽ, nota, *por la mesma humanidad, y por la gracia q̃ resultaria en ella de la vniõ hypostatica; y despues de ella en su Madre Santissima.* Latiné: *fuerũt Filius, & Mater priusquã õnes Angelici ordines; vt intelligatur, quod si David psal. 8. dixit:* quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quoniã visitas eũ? Minuisti eũ pauló minús ab Angelis, &c. *intelligãt, & agnoscãt omnes, quod vnus est homo, simul & Deus, qui est super omnes homines, & Angelos, & quod omnes inferiores sunt, & servi illius; quia Deus est, existẽs homo superior: & hoc propter primus est in mẽte, & volũtate Divina, & cũ illo coniũcta est, & inseparabilis fœmina vna, & Virgo Purissima, eius Mater, superior, & Regina omnis creaturæ. Et si hominẽ, vt ipse psal. dicit,* gloria, & honore coronavit Deus, & cõstituit eũ super opera manuũ suarũ; *fuit, quia Deus, & homo caput promeruit hãc illi coronã, & illã, quã Angeli habuerunt. Et ipse psal. addit, postquã præ Angelis minoravit hominẽ,* quod constituit eũ super opera manuũ suarũ; *& ipsi quoq; Angeli fuerũt opus manuũ suarũ. Et ita David totũ cõprehendit dicens, quod imminuit homines pauló minús ab Angelis: sed licet inferiores in esse naturali, erat aliquis homo, qui superior esset, & super Angelos ipsos, qui opus manuũ Dei erant, constitutus,*

Et ſuperioritas hæc per gratiã erat; & nõ ſolũ ex parte Divinitatis humanitati vnitæ, ſed etiã, nota, *per ipſã humanitatẽ, & per gratiã, quã illa aſſequeretur ex hypoſtatica vnione; & poſt illam ſic de eius Sanctiſsima Matre.*

Et cap. 4. dicit: *eſta vniõ hypoſtatica de la ſegũda perçona de la Santiſsima Trinidad cõ la naturaleza humana, entendi, q̃ era como forçoſo fueſſe la primera obra, y objeto, adonde primero ſalieſſe el entendimiẽto, y volũtad Divina ad extra; por altiſsimas razones, &c. Vna es porq; deſpues de averſe Dios entẽdido, y amado en ſi miſmo, el mejor orden era conocer, y amar lo q̃ era mas inmediato á ſu Divinidad, como es la vniõ hypoſtatica. Otra razõ es, porq; tanbien devia la Divinidad ſubſtancialmẽte comunicarſe ad extra, aviẽdoſe comunicado ad intra; paraq; la intenciõ, y volũtad Divina començaſſe por el fin mas alto ſus obras, y ſe comunicaſſẽ ſus atributos cõ hermoſiſsimo ordẽ, y aquel fuego de la Divinidad obraſſe primero, y todo lo poſsible en lo q̃ eſtava mas inmediato á el, como era la vniõ hypoſtatica; y primero comunicaſſe ſu Divinidad á quiẽ huvieſſe de llegar al mas alto, y excelẽte grado deſpues de el miſmo Dios; en ſu conocimiento, y amor, operaciones, y gloria de ſu miſma Deidad, &c. Tambiẽ era conveniẽte, y como neceſſario, ſi Dios queria criar muchas criaturas, q̃ las criaſſe cõ armonia, y ſubordinaciõ, y q̃ eſta fueſſe la mas admirable, y glorioſa q̃ pudieſſe ſer. Y conforme á eſto haviã de tener vna, q̃ fueſſe cabeça, y ſuprema á todas, y quãto fueſſe poſsible inmediata, y vnida cõ Dios, y q̃ por ella poſaſſẽ todos, &c.* Latinè: *vt neceſſariũ intellexi, quod hypoſtatica hæc vnio*

secũdæ Sãctiss. Trinitatis Personæ cũ humana natura esset primũ opus, & obiectũ, in quod primò erũperet intellectus, & Divina Volũtas ad extra; hoc propter rationes altissimas, &c. Vna est, quoniã postquã Deus intellexerat, & sese in se ipso dilexerat, melior ordo erat cognoscere, & amare quod Divinitati suæ stabat immediatius, qualis est vnio hypostatica. Altera ratio est, quia debebat quoq; Divinitas substãtialiter cõmunicari ad extra; cũ ad intra fuisset cõmunicata: vt intẽtio, & Divina volũtas per altiorẽ finẽ opera inciperet sua; & Divina attributa ordine cõmunicarẽtur pulcherrimo; & ille Divinitatis ignis primò, & possibile õne operaretur in eo, quod illi stabat immediatius, qualis erat vnio hypostatica; & primũ Divinitatẽ cõmunicaret ei, qui venturus erat, post ipsum Deũ, ad altiorẽ gradũ, & præcellẽtiorẽ in Dei agnitione, amore, operationibus, & ipsius Deitatis gloria, &c. Erat quoq; conveniẽs, & vt necessariũ, si cõplures vellet Deus producere creaturas, quòd istas cũ harmonia, & subordinatione crearet, & quod hæc esset mirabilior, & gloriosior, quæ esse posset. Et secũdũ hoc habituræ erãt vnã, quæ caput, & omniũ suprema foret, & quãtũ possibile esset immediata, & Deo vnita, & per quã trãsirẽt õnes, &c. De Maria ait: *entẽdi, fue ordenada esta pura criatura antesq; vviesse otro decreto de criar otra alguna: y assi fue primero q̃ todas cõcebida en la mente Divina, como, y qual pertenecia, y convenia á la dignidad, excelencia, y dones de la humanidad de su Hijo Santissimo; y á ella se encaminó luego, inmediatamente con el, todo el impetu de el rio de la Divinidad, y sus atributos,*

quanto

quanto era capaz de recibirle vna pura criatura, y como convenia para la dignidad de Madre. Latiné: *intellexi, quod pura ista creatura ordinata fuit, antequam esset decretum aliud de altera creatura creanda: & sic ante omnes concepta fuit in Divina mente, quemadmodum, & qualiter pertinebat, & consentaneum erat dignitati, excellentiæ, & donis humanitatis Sanctissimi Filii sui; & illam illico, immediate cum illo, adivit totus fluminis Divinitatis, & eius attributorum impetus, quantum capax erat illum recipiendi vna pura creatura, & quemadmodum dignitati Matris consentaneum erat.*

Stet igitur, quod ex hypotesi, quod Deus velit ad extra producere, tenetur moraliter Incarnationem decernere; (non tenetur absolutè, & simpliciter, vt putant Doctorem docuisse P. Vasquez, P. de Lugo, & P. Bernal.) ita vt, si primo concilio non decerneret Christum, moraliter non posset aliquid ad extra producere: omnia enim naturalia, & supernaturalia; omnia purè corporalia; omnes homines, & Angeli, non solum quoad gratiam, & gloriam; sed etiam quoad esse naturæ moraliter debent dependere á Christo, tãquam á capite, & fine; qui est complementum, quies, & perfectio omnium creaturarum: & est in summitatibus creatis exaltatus, in summitate scilicet gratiæ, in summitate gloriæ, ac in summitate naturæ: natura enim Christi humana est summus Dei effectus; *eo quia Deus nõ potuit,* quia defuit creaturæ capacitas, *altiorem illo creare, neque exaltare,* vt ait Doctor in libro disp.

Homer. part. 2. cap. 17. & asserit P. Marçal in Summ. Lull. lib. 3. resol. 108. dicens: *quamvis enim duæ summæ naturæ, increata vna, creata altera, posint esse vnum suppositum, sicut de facto est in Christo; tamen, sicut non possunt esse duæ summæ naturæ increatæ, sic etiam neque creatæ; quia neutra esset summa.* Et inferius: *á summitate gratiæ, summa est natura assumpta, nec maior esse potest: aliás nõ esset proportio inter habitum, & subiectum.* Subindeque natura Christi humana est *magnum ens creatum, quod est maius quam omnes creaturæ,* vt ait Doctor in Art. mag. part. 9. sect. 1. de Deo cap. 5. art. 2. in quo, & per quod summæ exaltantur, & nobilitantur omnes creaturæ, vt docet Doctor in arb. Christ. cap. de fructu, dicens: *per Incarnationem participat Deitas naturaliter cum toto vniverso creato, in quantum naturã humanam assumpsit, quæ cum omnibus creaturis participat secundum cursum naturalem: & in quantum participat cum Deitate supra cursum naturalem, exaltatum est totum genus vniversi, videlicet bonitas naturalis, & generalis exaltata in bonitate Christi speciali, & idem de aliis formis naturalibus, & primis.* Et P. Marçal in summa Lull. resol. 48. lib. 2. ait: *in homine sic collecta est omnis creatura, vt in aliquo homine natura humana sit omnibus creaturis perfectior, collectivé, & de facto in Christo, & in Maria post Christum.* Si autẽ humana natura in Christo non esset summa natura creata, complementum, caput, & finis omnium, in qua, & per quam summé exaltarentur omnes creaturæ, non esset

proportionata, & disposita ad Incarnationem Filii Dei, vt docet Doctor in lib. de disp. intellect. & fidei cap. de Incarn. dicens: *Deus non potest esse in creatura, nec creatura in ipso, nisi cum maiori exaltatione vnius creaturæ, existentis finis omnium entium creatorum: propter quam maiorem exaltationem esset proportionata, & disposita ad Deificationem, & Incarnationem.* Et in lib. disp Homer. part. 2. cap. 6. ait: *Deus nõ potest incarnari in natura humana, quæ non est singularis in summitate finis; videlicet quod omnes creaturæ sint ordinatæ ad ipsam, vt Deus sit homo. Et sic respiciunt se invicem sũma singularitas increata, & summa singularitas creata: ratione cuius ipsa humana natura est disposita per summã singularitatem, vt Deus sit incarnatus.*

TEXTVS III.

DEus potest hominem recreare: & si potest recreare, recreavit, quia sicuti in creatione hominis, quia voluit creare hominem, potuit: & sic Divina potentia fuit concomitata voluntatem: sic in recreatione, sicut potestas Divina potest recreare; debet voluntas Divina concomitare potestatẽ: vt quod potestas potest, voluntas velit: cum inter potestatem, & voluntatem Divinã non sit differentia. Cap. quod sit recreatio rat. 6.

NODVS.

SI Deus recreavit ex debito; igitur non ex gratia.

ENODATIO.

DIco: non loquitur Doctor de debito physico; sed tantum vult, quod Deus, attenta creatione naturæ humanæ ad finem beatitudinis; & supposita deviatione ipsius naturæ á dicto fine, per peccatum originale, moraliter debeat, & necessitetur á suis perfectionibus humanum genus recreare: idque probat sex rationibus, moralem necessitatem perfectionis ex hypothesi in Deo arguentibus. Quod octor loquatur de prædicta morali necessitate satis constat ex 1. & 2. tex. explicat. vbi laté dictum est etiam, dictam necessitatem moralem bene componi cum Dei libertate ab intrinseco indifferenti, etiam & cum gratia. Hanc sententiam tenent D. Anselmus lib. 1. cur Deus homo, cap. 4. & 25. & feré per totum, & lib. 2. cap. 12. & alibi sæpe, Richardus de S. Victore lib. de Incarn. Verbi cap. 8. & alii.

Dices: potuit moraliter Deus relinquere totum humanum genus in massa perditionis, sicut reliquit Angelos peccatores sine remedio: igitur.

Respondeo, quod ideo beneficio recreationis cum hominibus, quam cum Angelis, meliús vsus est Deus, primo quia tota natura humana cecidit, & non tota Angelica: qua propter dixit D. Atanas. lib. 1. de Incarnat. Verbi; *indecorum erat eos, qui semel creati erãt rationales, penitus extingui; id enim indignum erat bonitati Dei, si qui ab ipso creati erant, in interitum abirent ob diaboli adversus hominẽ fraudẽ; quinimo indignissimũ*

erat Dei artem in hominibus extingui. Secundo quia Angeli propria voluntate peccaverunt. Tertio quia Angelus, cum sit substantia spiritualis, cum corpore non coniuncta, aut totus se convertit ad bonum, aut totus se pervertit ad malum: homo autem, quia ex corpore, & anima componitur, non potest statim, vel totus se convertere ad bonum, vel ad malum se pervertere, cum sit de pluribus naturis, & ex parte corporis divisibilis; requirens proinde tempus, & multiplicationem diversorum actuum: & quando peccat, proxime pœnitere potest: Angelus autem malus ita in malitia sua obstinatus est, vt proximé pœnitere non possit, vt docent Doctor in 2 sent. quæst. 49 D. Anselm. loc. cit. Angelus Vulpes 2 p. disp. 22 art 6. & 7. & Scotus 2. dist. 7 Quarto, & principaliter debuit Deus moraliter hominem redimere, quia propter hominem condidit vniversum, & non propter Angelũ, & sic *post peccatum originale Deus populum in mundo nõ habebat; & totum vniversum, Angelis exceptis, á fine deviatum erat; propter quem creatum fuit, sicut omnia corpora supercælestia, & corpora inferiora, quæ creata fuerunt ad serviendum homini, vt per hominem servientem Deo suum finem in Deo attingerent,* vt ait Doctor in 3. sent. quæst. 112. Quod idem asserit Theodoretus lib. 6. de provid. Divina his verbis: *quoniam res vniversæ, quæ sub sensu cadunt, cadũt propter hominem creatæ; ideo non putavit condemnandũ, cuius gratia cuncta creavisset.* Vide explic. tex. 7. 8. 9. & 10.

TEXTVS IV.

IN omni reparatione, reconciliatione, & recreatione creaturæ subiectæ peccato, & ofensæ, debité, & iusté faciẽda requiritur, quod fiat satisfactio de ofensa illi, contra quẽ est facta; & quod ille, qui satisfacit debeat, & posit satisfacere; sed homo peccavit: ergo homo debet satisfacere pro peccato primorum parentum: sed homo solus, nec aliqua pura creatura potest satisfacere; quia peccatum primorum parentum est generale, vt probatum est, & infinitum, quia est contra Deum, qui est infinitus; omnis autem creatura particularis est finita: ergo huiusmodi satisfactio solũ potest fieri per Deum, qui est supra omnem creaturã: non oportet autem fieri, nisi per hominem, quia homo peccavit: oportet ergo, quod ille, qui satisfacit, si est sufficiens, & iustus, ac debitus satisfactor, & reparator, sit Deus, & homo; vt in quantum Deus posit satisfacere; in quantum autem homo debeat satisfacere: sequitur ergo Incarnatio. Cap. de Incarn. rat. 4.

NODVS.

PRobat Incarnationem necessariam, supposita reparatione hominum.

ENODATIO.

NOtandum, quod non dato adhuc peccato, supposita præcisé voluntate Dei producendi ad extra, fuit moraliter necessaria Incarnatio, vt laté dictũ est in 2. tex. explicat. Notandum etiam, quod posito

peccato

peccato originali, debuit moraliter Deus hominem recreare, vt dictum est in 3. tex. explicat. His notatis.

Dico: sentit Doctor, quod reparatio generis humani, necessitate morali perfectionis ex hypotesi, quæ non opponitur libero, nec gratiæ, vt constat ex 1. & 2. tex. explicat. debuit per Christum fieri, & moraliter non potuit, per alium fieri. Doctorem loqui de tali necessitate patet ex explicat. 1. & 2. tex. Hanc sententiam tenent D. Ansel. lib. 1. cur Deus homo cap. 4. & 25. & feré per totum, & lib. 2. cap. 12. & alibi sepé, Richardus de S. Victore lib. de Incarnat. Verbi cap. 8. D. Bonaven. dist. 20. art 1. q. 1. Alens. 3. part. quæst. 1. & Abulens. in prolog. super Matthæũ quæst. 27. & alii plures. Et Apostol. ad Hebr. 2. ait: *decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum, per passionem consummare*; hoc est decebat eũ, quoad substantiã prædefinitũ caput, & finẽ viso peccato definiri passibilẽ, & Redemptorẽ: cum autem Deus moraliter teneatur eligere melius, & decentius, relicto decenti, ex 1. & 2. tex. explic. ideo moraliter debuit decernere Christum Redemptorem.

Dices cum August. lib. 13. de Trinit. cap. 10. & 13. & lib. de agone christiano cap. 11. *stultos esse, qui putant, non potuisse aliter sapientiam Dei hominem liberare nisi carnem assumendo*, & multis aliis Patribus idem asserentibus: igitur.

Respondeo, veré stultos esse, qui putant nõ potuisse

aliter sapientiam Dei hominem liberare, physicé, & absoluté, nisi carnem assumendo; minimé vero qui moraliter non posse defendunt, nec hoc vult Aug. vt patet ex locis cit. in 1. tex. explic. tenetur enim moraliter Deus eligere convenientißimum reparatorem, qualis est Christus Iesus. Primo quia debuit Deus facere recreationem per hominem: quoniam *si Deus fecisset recreationem, vel liberationem naturæ humanæ per Angelum, vel per aliam creaturam, nō esset natura humana sufficienter restituta; eo quod nō esset in illa nobilitate, in qua erat ante peccatum: quia ante peccatum non erat subiecta, & obligata, nisi soli Deo: si autem per aliam creaturam esset reparata; esset illi creaturæ subiecta, & obligata*, vt ait Doctor rat. 5. igitur per hominem debuit moraliter Deus recreationem facere. Deinde ipse Deus debuit facere recreationem, vt docet Doctor in 2. contempl. dist. 12. cap. 60. dicens: *sicut, Domine, spectat ad bonitatem tuam, quod habeat rectitudinem, & potestatem sapientiam, virtutem, & sanctitatem; & quod creaverit omnia; sic ad eam spectat secundum eius dignitatem, quod humanum genus recreaverit.* Et pauló post: *sicut, Domine, creatio est subiectum, in quo nobilitas, & virtus bonitatis tuæ agnoscitur; sic voluisti tu hominem recreare, vt recreatio subiectum sit in quo ostendatur altitudo, & dignitas bonitatis tuæ*: igitur moraliter debuit fieri recreatio per Christum, qui est Deus, & homo.

Secundo Christus debuit facere recreationē, quia

eſt caput, & finis totius vniverſi, & mediator Dei, & hominum, vt docet Doctor in 3. ſent. quæſt. 111. dicens: *quando dicis, quod Chriſtus ratione innocentiæ ſuæ mortem non debebat, verum dicis: ſed verum nō dicis ratione ſui officii, ſcilicet officii recreationis, quod ſibi ſoli pertinebat, cum principium, & finis ſit totius vniverſi, & medium inter Deum, & genus humanum: vt Deus populum ſuum, quem amiſit per peccatum, per Chriſtum hominem recuperaret.*

Tertio quia humanitas Chriſti, quam Deus ſummé honoravit, & nobilitavit, debuit honorare Deum ſatisfaciendo pro peccato naturæ humanæ, vt docet loc. cit. ſent. immediaté dicens: *& per hunc modum mortem debebat: cum mors corporis ſit nobilius debitum, & ſolutio quæ Deo fieri poſſit ad honorandum ipſum, & ad diligendum ſuum proximum.* Et in Apoſtroph. cap. quód D. N. Ieſus-Chriſtus mori debuit rat. 1. inquit: *omnis creatura quantó plus exaltatur á Deo, tantó Deo debet eſſe humilior, ſubiectior, & ad illi obediendum promptior: ſed natura humana aſſumpta eſt magis exaltata á Deo in Domino Ieſu, quam exaltari poſſit: ergo natura humana in Domino Ieſu debet ſe totaliter dare, & humiliare, ac exponere ad ſerviendum Deo, & ad omnia, quæ poteſt pro Deo ſuſtinere.*

Denique ſicuti miſericordia Dei exigit humani generis recreationem; ita iuſtitia Dei exigit condignā compenſationem, & æqualem ſatisfactionem: ſed ad hanc exhibēdam phyſicé, & ſimpliciter fuit neceſſaria

vnio hypoſtatica, quia, vt ait Doctor in textu *homo ſolus, nec aliqua pura creatura poteſt ſatisfacere*, de rigore iuſtitiæ; *quia peccatum primorum parentum eſt generale, & infinitum*, extrinſecé, ex perſona offenſa; *quia eſt contra Deum, qui eſt infinitus: omnis autem creatura particularis eſt finita: ergo huiuſmodi ſatisfactio ſolú poteſt fieri per Deum, qui eſt ſupra omnem creaturam: non oportet autem fieri niſi per hominem, quia homo peccavit, &c.* ergo debuit fieri per Chriſtum, qui ſolus potuit ſatisfactionem exhibere valoris infiniti, extrinſecé, ex Divino ſuppoſito.

Sed dices: Deus poteſt hominem liberare abſque vlla ſatisfactione, & maximè abſque ſatisfactione de rigore iuſtitiæ: igitur. Antecedens probabit Herem. in 3 ſent. quæſt. 112. ſic: *Deus eſt omnipotens, & poteſt quidquid vult, cum ſua poteſtas ſit infinita; & ſicut poteſtatem habet infinitam, ita miſericordiam habet infinitam; ſed ſi genus humanum ſalvare non poſſet ſine ſatisfactione, ſatisfactio, quæ eſt finita ligat, & impedit Divinam poteſtatem, & miſericordiam, quod eſt impoſsibile: concluditur ergo, quód Deus humanum genus ſalvare potuit ſine ſatisfactione.*

Reſpondet Doctor ſic: *concedo, quod Deus poteſtatem, & miſericordiam habet infinitam, & poteſt quidquid vult: ſed contra ſuum velle nihil poteſt, nec contra ſuam bonitatem, magnitudinem, &c. cum in Deo bonitas, magnitudo, poteſtas, & voluntas ſint idem; & ſic de miſericordia, & iuſtitia: & quia iuſtitia requirit ſatisfactionem,*

onem, Deus contra iustitiam velle non potest cum misericordia, nec è converso; sed facta satisfactione misericordia parcit, & iustitia præmium reddit, & Deus ordinatè de sua misericordia, & iustitia agit. Et dixerat: *post peccatũ originale Deus, & humanum genus fuerunt in magna cõtrarietate boni, & mali, virtutis, & vitii, veri, & falsi, & sic de consimilibus. Et illa contrarietas ita erat magna, quod Deus populum in mundo non habebat, & totum vniversum, Angelis exceptis, á fine deviatum erat, propter quem creatum fuit,* (intellige inspecto casu Adami, & pro tempore, quod extitit post casum, antequã Deus Adamo remedia concederet reparationis, ex Christi prævisis meritis) *sicut omnia corpora supercælestia, & corpora inferiora, quæ creata fuerunt ad serviendum homini, vt per hominem servientem Deo suum finem in Deo attingerent. Vnde sequitur, quod Deus de sua potestate ordinata humanum genus salvare non potuit sine satisfactione; sicut genus humanum gubernare nõ potuit in sua gratia post peccatum, & sic de fine mundi. Et si Deus humanum genus salvare potuisset sine satisfactione, potuisset in sua gratia humanum genus gubernare, & sic de fine mũdi. Et si hoc potuisset, sequeretur quod Deus cum suo effectu participare posset vniformiter per magnam concordantiam, & per magnam contrarietatem, quod est valde impossibile:: concluditur ergo, quod Deus humanum genus sine satisfactione salvare non potuit; vt per satisfactionẽ contrarietas remota fuisset inter Deum, & hominem; & inter hominem, & entia corporalia ad servitium hominis*

 creata

creata; & deducta fuisset concordantia. Ac proinde moraliter necessaria fuit satisfactio de rigore iustitiæ; quia, vt ait Dr. in lib. disp. intell. & fidei cap. de Incarn. *Deus est iustus cũ maiori magnitudine Divinæ bonitatis, magnitudinis, æternitatis, potestatis, &c. & nõ cũ minori; cũ sua iustitia sit infinita; & sic de sua magnitudine, bonitate, &c. Vnde sequitur, quod maius iudiciũ inter Deũ, & hominem est necessarium; eo quia Deus necessitat se ipsum cum suis dignitatibus.* Non autem physicé, & simpliciter fuit necessaria satisfactio: cum *iustitia*, vt pauló post inquit, *& misericordia sint idem in Deo: & Deus, qui liber est ad placitum agit de sua iustitia, & sua misericordia, puniendo, & parcendo.*

TEXTVS V.

DEus, qui creavit mundum, vt probatum est, creavit, seu fecit hominem, qui est pars mundi, quem, cum sit naturæ rationalis, fecit talem; vt discerneret inter bonum, & malum; & diligeret bonum, & odiret malum: aliter frustra fecisset eum naturæ rationalis: & vt maius bonum magis diligeret, & summum bonum summé, & liberé diligeret: tantæ enim nobilitatis est summum bonum, quod liberé vult, & debet diligi: secundum hoc ergo homo factus est á Deo bonus, & ad bonum ordinatus: factus est etiam iustus; quia iustitia est bonum diligere, & summa iustitia, summum bonum summé diligere: & cũ sit factus ad diligendum summum bonum, liberé

meretur, & oportet quod aſſequatur illud; aliás fruſtra factus eſſet ad illud: & ſi illud aſſequitur, aſſequitur, & meretur beatitudinem. Cap. quód primi parentes peccaverunt, ante rationem. 1.

NODVS I.

VIdetur primo, Doctorem ſentire, quód homo, ratione naturæ rationalis, debuit neceſſario creari ad beatitudinem ordinatus.

ENODATIO.

DIco: intelligit Doctor, quód homo, cum ſit naturæ rationalis, ſeu de memoria, intellectu, & voluntate, debuit neceſſario moraliter creari ad beatitudinem ordinatus. Quod Doctor loquatur de tali neceſsitate, nō oppoſita libertati, nec gratiæ, ſatis conſtat ex 1. & 2. tex. explicat. Patet etiam, quia lib. de anima rational. 1. ſpecie reg. vtrum ait: *quia dignum eſt, vt Deus ſuas perfectiones oſtendat, ſecundum quod ipſius dignitas exigit, eſt animæ eſſe neceſſarium, vt illas dignitates attingat memorando, cognoſcendo, & amando.* Et in lib. variar quæſtionū, quæſt. 63. *neceſſariū eſt, quòd anima, infinitū bonū, &c. diligens, ſuum finē in infinito bono, infinité durās, conſequatur.* Et addit: *aliter non eſſet perfecta magnitudo Dei in extrinſeca operatione.*

Sed dices: licet homo, ratione naturæ rationalis, debeat ordinari ad memorandum, intelligedum, & amandum Deum, támen moraliter potuit non ordinari ad ſui beatitudinem; & quod ordinaretur, fuit ex mera Dei libertate: igitur.

Respondeo, ex Doctore in quæst. ad M. Parif. Thomã Attrab. quæst 4. dicente: *Deus creavit mundum propter maioritatem finis: & hoc propter magnitudinem suæ bonitatis, infinitatis, & sic de aliis suis attributis: maior autem finis est, vt sit ab Angelis, & hominibus recultus, & intellectus, & dilectus cum maioritate finis.* Et sic tenebatur moraliter Deus hominẽ creare, vt esset ab ipso memoratus, intellectus, & dilectus cum maioritate finis: hæc autem maioritas finis est, quum homo assequitur ipsum finem in Deo, & Deum attingit facie ad faciem, per suummet substantiale intelligere, recolere, & amare, quibus substantia animæ essentialiter constituta est, vt pasim docet Doctor; attingit absq; actu accidentali, & absque medio extraneo antiquo, vel novo; non videt cum specie aliqua recepta in sua intelligibilitate substantiali; sed intelligit Deum in ipsa intelligibilitate essentiali Dei, recolit Deum in ipsa recolibilitate essentiali Dei, & amat Deũ in ipsa amabilitate essentiali Dei: nam, vt ait Doctor in 1. sent. quæst. 5. *cum Deus sit summé recolibilis, intelligibilis, & amabilis, requirit ab anima, quod ipsum obiectet cũ magnitudine bonitatis, durationis, potestatis, virtutis, & perfectionis*, quæ est in substantia, *non cum parvitate*, quæ est in accidente: *vt non sit contra suam summam recolibilitatem, intelligibilitatem, & amabilitatem.* Hæc autem perfecta assequutio finis, in ipso fine, & non in medio debet homini esse quies, perfectio, complementum, gloria, & beatitudo: *aliter*, ait Doctor in

Apostr.

Apostroph. cap. quod Deus sit glorificator, rat. 5. *neq; Deus esset summum bonum, & perfectum; si non esset gloria, & beatitudo assequentibus ipsum.*

Item debuit anima rationalis ad beatitudinem ordinari, vt esset medium, per quod creaturæ corporales possent suum finem attingere in Deo, & in ipso gloriã habere, vt docet Doctor in lib. de anima rationali 1. specie reg. vtrum dicens: *cum Deus sit totus perfectus, & ipse sit concordantia suarum rationum, quæ sunt sua bonitas, magnitudo, æternitas, potestas, sapientia, voluntas, virtus, veritas, gloria, finis, & aliæ similes istis, & illa concordantia sit sine aliqua contrarietate, non posset creare substantias corporales, non creando animas rationales; quia sic non convenirent in ipso suæ rationes, in creando illas substantias corporales: quoniam crearet ipsas ad alterius finem, & non ad finem ipsius Dei.* Et dixerat: *si forte aliquis dicit, quod ipsas tres potentias activas superiùs declaratas habent Angeli; ideoque inferat, nõ oportere, quod anima rationalis sit, postquam Angeli ipsas habent. Respondemus ad hoc, & dicimus, quod decet animam rationalem esse creatam, & habere illas potentias; vt ipsa sit medium, & instrumentum, per quod creaturæ corporales possint suum finem attingere in Deo, & in ipso quiescere: cum ita sit, quod Deus ipsas creaturas corporales creaverit ad se ipsum principaliter, vt earum finis nobilior sit: & quoniam anima rationalis coniuncta est corpori humano, quod cum omnibus creaturis participat, consequente, seu attingente ipsa anima suum finem in Deo per memorare,*

intelligere, & amare, suum corpus attingit suum finem in Deo, mediante anima beata; & mediante corpore glorificato illius hominis beati, consequũtur in Deo suum finem cæteræ creaturæ corporales. Sic autem est mediante corpore Christi, vt docet Doctor in 3. sent. quæst. 99. dicens: *si Deus incarnari nõ debuit, in alia vita corpora beatorum remunerare nõ debet: cum corpora per sensitivũ, & imaginativum in Deo finem attingere nõ possent; quoniam Deus insensibilis est, & inimaginabilis: sed Deus per Incarnationem, in quantum homo sensibilis est, & imaginabilis: & per hoc mediũ De⁹ corpora beatorũ in alia vita remunerare potest in videndo, audiendo, loquendo, imaginando, & conversando.* Et in lib. disp. intell. & fidei cap. de Incarn. ait: *Deus incarnatus cum corpore suo glorificabit corpora Sanctorum in Patria per visum, auditũ, & tactum; & corpus illud erit instrumentum Divinum remunerationis sensualium Sanctorum: sine quo instrumẽto Deus nõ posset remunerare corpora Sanctorum per sensum, qui sustinuerunt in hoc sæculo famem, sitim, & multas miserias propter Deum: & ratio huius est, quia Deus est invisibilis, inaudibilis, & intangibilis.* Et in lib. Clericorum cap. 7. *post generalem hominum resurrectionem, dabit corpus Christi gloriam corporibus beatorum, secundũ sex sensus, visum, auditum, odoratum, gustum, tactũ, & affatum.* (affatus quidem sensus est, & nobilior) *Secũdum tactum credo per beatissimorum Christi pedum osculationẽ satisfactum erit corporibus. Secundum affatũ vero, per verba dulcissima, & amabilissima. Et hæc corporum*

glorificatio sine beatissima Incarnatione, & corporum resurrectione esse non posset. Vide Apostr. cap. quod Deus sit glorificator.

NODVS II.

VIdetur deinde, Doctorem docere, quod non potuerit homo, ratione naturæ rationalis, creari nõ elevatus ad supernaturalia dona gratiæ.

ENODATIO.

DIco: intelligit Doctor, Deum moraliter nõ potuisse hominem condere, posito quod ipsum ordinaverit ad beatitudinem, non solum absque aliquo dono supernaturali gratiæ, quo homo posset sufficienter liberé, & meritorié operari, & de condigno beatitudinem promereri, & assequi, sed neque absque omni illa integritate, ordinatione, & rectitudine supernaturalibus, quibus faciliús, & perfectiús posset liberé vitare peccata, meritorié operari, & finem á Deo intentum, videlicet beatitudinem de condigno promereri, & assequi:& vt sic natura humana iusta,& sancta transiret ad finem Incarnationis, vt docet Doctor, in lib de concept. part. 4. rat. 8 his verbis: *humanitas respectu principii iusta, virtuosa, & sancta creata fuit in Adam, vt principium per rectitudinem debitam originalis iustitiæ sancté, & iusté transiret ad finem, vel ad Incarnationem Filii Dei.* Quód iste sit sensus Doctoris satis constat ex 1. & 2. text. explicat. vbi etiam dictum est, necessitatem moralem perfectionis ex

hypotesi bene componi cum libertate, & gratia. Et quod Deus moraliter teneatur ad prædicta patet ex reg. Doctoris *de maioritate finis*, cit. in explic. 2. tex. docente, quod Deus debet eligere media vtiliora, & magis proportionata ad finem assequendum: sicuti in statu naturæ lapsæ moraliter necessitatur instituere Sacramenta; quia quæcumque alia media á Sacramentis solum conducunt ad salutē, quatenus homo per ipsa devenit ad perfectam contritionem, quæ difficulter habetur. Sacramenta vero causant gratiam cum sola attritione, quæ faciliús haberi potest. Et latius patet ex denod. 1. & 2. tex.

TEXTVS VI.

DEus creavit hominem ad diligendum, recolendum, & intelligendum Deum; sed si non est alia gloria, vel vita, quam gloria, & vita huius mundi; homo finito tempore diligit, intelligit, & recolit Deum; & infinito tempore stat in privatione diligendi, recolendi, & intelligendi Deum: & hoc est contra iustitiam Dei, quod ipse permittat amorem suum stare infinito tempore in privatione; cum Deus, eoquod est summè bonus, sit continué, & semper ab hominibus diligendus. Cap. quod Deus sit glorificator rat. 3.

NODVS.

HOc est contra iustitiam Dei? ergo simpliciter necessarium fuit, quod Deus homines institueret ad finem supernaturalis beatitudinis.

ENODA-

ENODATIO.

DIco: illa verba *eſt contra iuſtitiam Dei, quód ipſe permittat, amorem ſuum ſtare infinito tempore in privatione*, non ponunt abſoluté, & ſimpliciter obligationem in Deo; ſed tantum obligant Deum moraliter ex hypoteſi á ſe ipſo, & á ſua perfectione ad inſtituendum homines ad finem ſupernaturalis beatitudinis: quoniam iuſtitia Dei requirit,& exigit reddere vnicuique quod ſuum eſt; proindeque quod *Deus, eo quod eſt ſummé bonus, ſit continué, & ſemper ab hominibus diligendus*, & eo quod eſt ſummum bonum, & perfectum, ſit finis vltimus, quies, & beatitudo hominum: & ſic ſi Deus homines non inſtitueret ad finem ſupernaturalis beatitudinis,hoc eſſet contra iuſtitiam Dei, ſeu contra id,quod requirit, & exigit iuſtitia Dei. Quod hæc ſit Doctoris intelligentia patet ex 1. & 2. tex explicat. & ex 3. ſent. quæſt 112. vbi ait Doctor: *Deus de ſua poteſtate ordinata humanum genus ſalvare non potuit ſine ſatisfactione*, hoc eſt moraliter non potuit: & tamen addit: *concedo quod Deus poteſtatem,& miſericordiam habet infinitam, & poteſt quicquid vult: ſed contra ſuum velle nihil poteſt; nec contra ſuam bonitatem, magnitudinem,&c. cum in Deo bonitas,magnitudo, poteſtas, & voluntas ſint idem; & ſic de miſericordia,& iuſtitia: & quia iuſtitia requirit ſatisfactionẽ, Deus contra iuſtitiam velle non poteſt cum miſericordia, nec é converſó: ſed facta ſatisfactione,miſericordia parcit,*

& iustitia præmium reddit, & Deus ordinaté de sua misericordia, & iustitia agit. Ac inde quum Doctor ait, aliquid esse contra bonitatem Dei, contra magnitudinem, contra iustitiam, &c. seu contra id, quod aliqua Dei perfectio requirit, & exigit, non vult in Deo necessitatem simpliciter, sed solummodo moralē necessitatem perfectionis ex hypotesi.

TEXTVS VII.

IMpossibile est, aliquod ens creatum deviare, & frustrare Deum ab intentione sua, & fine per ipsum rei creatæ indito; cum ipse sit summé potens, & summé sapiens: sed Deus creavit hominem principaliter ad diligendum Deum, recolendum, & intelligendū: cum iste finis sit nobilior, & magis naturalis, qui possit, & debeat dari creaturæ rationali; eo quod ipsa est de memoria, intellectu, & voluntate; & per consequens ad beatitudinem; sed per peccatum est deviata natura humana á dicto fine; & per consequens á beatitudine, & tendit in nihilum: ergo si nō est recreatio, non assequitur Deus in natura humana finem, ad quē ipsam creavit; & sic sapientia sua fuit defectiva in creando naturam humanam ad finem, quem prævidit ipsam non assequuturam. Cap. quod sit recreatio rat. 1.

NODVS I.

SI forte non loqueretur Doctor de fine efficaciter intento, vellet quod omnes salvi fierent.

ENO-

ENODATIO.

DIco: non loquitur Doctor de fine efficaciter intento; alioquin nihil probaret: vult enim probare, Deum debere recreationem velle; finis autem hominis, seu beatitudo efficaciter intenta, posito originali peccato, supponit recreationem iam definitã. Loquitur igitur de fine inefficaciter intento: & sentit, quod moraliter impossibile est, aliquod ens creatum omninó deviare, & frustrare Deum ab eius intentione adhuc inefficaci, & fine per ipsum rei creatæ indito; cum ipse sit summé potens, & summé sapiens: cũ autẽ natura humana esset deviata omninó á suo fine, imó *& totum vniversum, Angelis exceptis*, vt ait Doctor in 3. sent. quæst. 112. ideo moraliter necessarium fuit recreationem esse, vt natura humana reduceretur ad finem debitum. Et vide explic. tex. 3. Ex quo nõ sequitur, quod omnes salvi fiant; quia licet aliqui nõ salventur, nõ deviant tamẽ, nec frustrant Deũ omnino ab eius intentione, & fine per ipsum rei creatæ indito.

NODVS II.

CVM sit necessarium, sapientiam Dei non esse defectivam, necessarium simpliciter videbitur fuisse, quod Deus naturam lapsam recrearet.

ENODATIO.

DIco: non simpliciter necessarium est, quod sapientia Dei non sit defectiva in extrinseca operatione, non creando scilicet naturam humanam ad finem, prævidens ipsam finem non assequuturã, sive

minimé assequuturam. Ratio est, quia quamvis perfectissima sapientia Dei, prævidens naturam humanã omnino deviatam á fine, requirat, & exigat dare modum, & medium, quo ipsa natura reducatur ad finẽ debitum; ac proinde si non faciat, deficiat ab eo, quod facere debet; cum tamen hoc sit ex hypotesi, quod Deus voluerit omnino liberé ad extra producere, posito peccato, seu deviata omnino humana natura á fine; ideo non simpliciter, & physicé, sed tantũ moraliter necessarium est; cùm actus omnino liber, quo Deus vult ad extra producere sit primaria ratio, & principalis determinativa ad operandum, vt laté dictum est in 1. tex. explic. & sic necessarium simpliciter non fuit, quod Deus naturam lapsam recrearet; sed tantum necessarium modo dicto in explic. tex. 3.

Dices: si non esset necessarium simpliciter sapientiam Dei non esse defectivam in operatione extrinseca, posset absoluté Deus habere defectum, & actum sibi indebitum, & improportionatum: sed hoc perfectissimo operanti concedi nequit: igitur.

Respondeo, quod licet necessarium simpliciter nõ sit sapientiam Dei non esse in operatione extrinseca defectivam; cum id, quod ad extra requirit, & exigit facere, & ab eo non deficere, facere debeat necessitate solum morali perfectionis ex hypotesi: non sequitur tamen, quod possit Deus adhuc sua potentia absoluta habere defectum, neque actum sibi indebitum, seu improportionatum. Ratio est, quia posse Dei absolutũ

consi

conſideratur pro vt præſcindit á magnitudine bonitatis; ſapientiæ, &c. & ſic defectus, & actus indebitus, & improportionatus non ſic dicuntur reſpectivé ad tale poſſe, vt laté dictum eſt in 1. tex. explicat. vbi & latiús dictum eſt, quod tale poſſe reſpiciat actum, eſſe ſolum ſecundum rationem noſtrá, & intentionaliter; vt enim poſſe Divinum realiter ponatur in actu requirit, quod ſit ordinatum, & regulatum per magnitudinem bonitatis, ſapientiæ, &c. Sed vide 1. tex. explic.

TEXTVS VIII.

SI ergo non eſſet recreatio, per quã fieret ſatisfactio generalis, ſicut peccatum, & ofenſa fuit generalis; omnes homines tam iuſti iuſtitia morali, quam iniuſti damnarentur æternaliter, quod eſt impoſsibile: quia iuſtitia Dei non diſcerneret inter iuſtum, & iniuſtum; quia haberet ſubiectum confuſum, & non diſtinctum; neque miſericordia Dei haberet ſubiectum, in quo poſſet habere actum ſuum, neq; poſſet ſalvare aliquẽ hominẽ ſine recreatione, per quam fiat ſatisfactio de peccato. Cap. quod ſit recreatio rat. 2.

NODVS.

QVid capit Doctor pro iuſtis iuſtitia morali? ſi loquitur de his, qui actualiter non peccarunt; aut etiã de his, qui ſolas naturales virtutes exercuerũt, & ſic moriuntur; conſtat hos æterné privari beatitudine de facto, ſi ſine baptiſmo decedant; idque citra iniuſtitiam, & abſque confuſione ſubiecti.

ENODATIO.

DIco: veré capit Doctor pro iustis iustitia morali homines, qui morales virtutes exercerent, seu opera facerent moraliter bona. Et sentit, moraliter impossibile esse, quod homines, tam si sint iusti iustitia morali, quam iniusti propter originale peccatum, sine discrimine non possint æternaliter nō damnari; ita vt illis nullum detur remedium, vt opera moraliter bona valeant vitæ æternæ meritoria facere: & sic ait; quod *iustitia Dei non discerneret inter iustum, & iniustum*, hoc est sine discrimine non daret media, quibus homo, licet iustus iustitia morali, posset sua opera bona facere vitæ æternæ meritoria. Sic etiam ait, quod iustitia Dei *haberet subiectum confusum, & nō distinctum*, id est omnes homines, tam iustos iustitia morali, quam iniustos puniret, quin posset moraliter, & ordinaté iustos iustitia morali non punire; cum eorum opera, licet moraliter bona, sine recreatione non possent esse meritoria vitæ æternæ: ac proinde dicit, quod *neque misericordia Dei haberet subiectum, in quo posset habere actū suum, neq; posset*, moraliter, *salvare aliquē hominē, &c.*

Et quamvis de facto homines, qui actualiter non peccarunt, aut etiam qui morales virtutes exercuerunt, si sine baptismo decedant, ob peccatum originale iusté priventur beatitudine; hoc tamen nō venit á Deo, sed ab hominibus data remedia reparationis non suscipientibus, vt docet Doctor in 4. sent. quæst. 126. dicens: *vnum est debitum esse quoad Deum, & aliud*

quoad

quoad homines; & quia Deus est ens perfectum, non deficit quoad debitum esse; sed homines, qui non sunt in perfecto esse, per peccatum deficiunt debito esse; cui non deficerent, si essent sine peccato; imó deducerent de potentia in actum debitum esse, secundum dispositionem, & potestatē eorum.

TEXTVS IX.

SI non esset recreatio, non posset Deus iudicare peccatores ad pœnam æternā pro peccato actuali, quod maius est in illo, qui peccat peccato actuali, quā sit peccatum originale: nam qui semel iudicatus est ad pænam æternam, non potest iteratò ad pænam æternā iudicari; sed omnes homines, tam iusti iustitia morali, quam iniusti sunt iudicati ad pænam æternam, ratione peccati originalis: ergo peccatores, qui sunt in peccato actuali non poterunt iudicari ad pænam æternam, nec ad privationem beatitudinis, cum iam sint iudicati. Cap. quod sit recreatio, rat. 3.

NODVS.

AN damnatus ad carendum beatitudine pro peccato originali, non damnatur etiam pro adulterio, aut homicidio? an qui pænis destinatur æternis pro vna culpa lethali actuali, impunis peccat tertio, & quarto, & millesimo, si tertio, quarto, & millesimo peccato peccat?

ENODATIO.

DIco: non intelligit Doctor, quod cuilibet peccato, sive originali, sive actuali lethali nō debeatur

atur privatio beatitudinis, neque qui pænis destinatur æternis pro vna culpa lethali actuali quod impunis peccet, si iterum, atque iterũ peccat, Constat ex arb. ævitern. cap. de divisione arb. vbi ait: *Machometus fuit iniustus, & falsus Sarracenus, & quia sua iniuria, luxuria, & secta fuerũt malæ, oportet quod tribuatur sibi malũ pro malo; & quia fecit magnum malum in hoc, quod plures homines posuit in errore, oportet quod eius merces sit magna in pæna: & quia malum illorum duravit, & durat; oportet quod remuneratio in pæna duret.* Et infra: *iustitia Dei non sustinet, quod aliqua opera facta per homines, & per Angelos in operando, in cogitando, & in aliis modis, in quibus opera fieri possunt, in die iudicii tradantur oblivioni, quia iustitia Dei est magna.* Et paulo infra: *homines peccatores qui diu perseveraverunt in peccato, sive peccatis, de quibus plura mala in eorũ sequacibus sequuta sunt, habebunt reddere in die iudicii de pluribus rationem.* Et cap. de trunco tenet: *& in hac æviternitate durant merita, & culpæ: quoniã in illo fine colliguntur omnia opera, quæ homines fecerunt in hac vita, & posita sunt in vna linea æviternali, quæ habet principium in fine mortis, & non potest habere finẽ privationis.* Hoc idem feré per totam arborem, & alibi sæpé.

Ac inde illa verba: *qui semel iudicatus est ad pænam æternam, non potest iterató ad pænam æternam iudicari,* non aliud sibi voluut, nisi quod homines, cum decederent omnes cum peccato originali, si non esset recreatio, & infallibiliter proinde pro peccato originali

pænas

pænas æternas subirent, sive essent iusti iustitia morali, sive iniusti, non starent in indifferentia iudicii ad pænas, vel non pænas æternas pro peccato, vel non peccato actuali; nec actuale peccatum, licet maius quam originale primó posset causare pænam æternã; sed tantum augere.

TEXTVS. X.

VIrtus, & vitium sunt contraria immediaté: sed per virtutes nullus homo quãtumcumq; iustus posset ad beatitudinem pervenire, si non esset recreatio, per quam fieret satisfactio de peccato originali: ergo nec per vitium, seu peccatũ actuale aliquis quãtumcumq; peccator habebit pænã æternam: nã sicut virtus non potest esse causa gloriæ; nec vitiũ causa pænæ: sed hoc est impossibile. Cap. quod sit recreatio rat. 4.

NODVS I.

IMpossibile docet, quod sicut virtus non potest esse causa gloriæ, nec vitium causa pænæ? igitur sicuti virtute naturali non possumus mereri gloriam; sic nec naturalibus vitiis, nec peccatis infernum.

ENODATIO.

DIco: non sentit Doctor, quod si non esset recreatio, per vitium, seu peccatum actuale lethale nõ mereremur infernum, vt constat ex explicat. tex. 9. Intelligit ergo, quod sicuti si non esset recreatio, per virtutes nullus quantumcumque iustus posset pervenire ad beatitudinem, seu de non merito beatitudinis

ad meritum beatitudinis: ſic neque per peccatum actuale aliquis quantumcumque peccator haberet pænam æternam, ſeu per peccatum actuale tranſiret de non merito pænæ æternæ ad meritum pænæ æternæ: itaque non ſtaret homo in indifferentia ad gloriam, vel pænam æternam per ſua actualia opera: & licet quodlibet actuale peccatum lethale eſſet meritorium pænæ æternæ, & magis quam originale; non tamen primò poſſet cauſare pænam æternã, ſed tantũ augere.

NODVS II.

SI eſt impoſsibile, quod virtus maneat non potens eſſe cauſa gloriæ, vbi peccatũ eſt cauſa pænæ: igitur neceſſarium omnino fuit, & non liberum, quod Deus nos recrearet, ne virtus maneret impotens cauſare gloriam, vbi peccatum cauſabat pænam.

ENODATIO.

DIco: non intelligit Doctor eſſe abſoluté, & ſimpliciter impoſsibile, quod virtus maneat impotens cauſare gloriam; ſed tantum vult hoc eſſe moraliter impoſsibile: tenetur enim ſolum moraliter Deus dare medium, vt homines poſsint virtutibus promereri finem beatitudinis. Patet ex explic. 1. 2. & 5. tex. & ſic non fuit omnino neceſſarium, quod Deus nos recrearet; ſed tantum moraliter ex hypoteſi, vt dictũ eſt in explic. tex. 3.

TEXTVS XI.

IMpoſsibile eſt Recreatorem naturæ, & Reparatorẽ ſufficientem ad ſatisfaciendũ, imo ſufficientiſsimũ,

& nobilissimum transcendi, & superexcelli in obedientia, vel in aliquo opere recreationis, reparationis, & satisfactionis ab aliquo, qui non est Recreator, & Reparator: sed si Dominus Iesus, quem probavimus fore Recreatorem, & Reparatorem sufficientissimum, & nobilissimum, quia est Deus, & homo, non fuisset mortuus: quantum ad passionem mortis, & meritũ posset superari ab aliquo, qui posit mori pro Deo: ergo oportuit, eum mori pro Deo in quantum homo; vt nullus homo transcendere eum posit in obedientia, passione, & merito. Cap. quod Dominus Noster Iesus-Christus mori debuit rat. 4.

NODVS I.

COntẽdit necessariam fuisse Incarnationem quoad circumstantias, quibus facta fuit redemptio, cum constat Christum potuisse pro nobis satisfacere, vel vna sola lachrymula, vel cordis affectu.

ENODATIO.

DIco: non intelligit Doctor, Christum fuisse necessitatum physicé, & simpliciter ad passionem mortis, & alias circumstantias redemptionis, vt pro nobis satisfaceret. Patet ex Apostroph. cap. de Incarnat. rat. 4 vbi ait: *homo solus, nec aliqua pura creatura potest satisfacere; quia peccatum primorum parentum est generale, vt probatum est, & infinitum,* extrinsecé; *quia est contra Deum, qui est infinitus: omnis autem creatura particularis est finita: ergo huiusmodi satisfactio solum potest fieri per Deũ.* Sufficiens igitur fuit minor Christi

affectus ad ſatisfaciendum pro peccato primorum parentum; quia infinitus erat, extrinſecé, ex Divino ſuppoſito; & creaturæ generalis, naturæ videlicet humanæ Chriſti deificatæ, quæ caput exiſtit, & finis totius vniverſi, vt dictum eſt in explicat. tex. 2. Intelligit ergo Doctor Chriſtum debere neceſsitate morali ſuæ perfectionis, poſito originali peccato, mortis paſsionẽ ſubire, & ſic de aliis circumſtantiis, quibus facta fuit redemptio: idque probat quinque rationibus moralẽ neceſsitatem perfectionis Chriſti in ipſo arguentibus. Et in 3. ſent. quæſt. 111. inquit: *quando dicis, quod Chriſtus, ratione innocentiæ ſuæ, mortẽ non debebat, verum dicis: ſed verũ nõ dicis, ratione ſui officii, ſcilicet officii recreationis, quod ſibi ſoli pertinebat; cum principiũ, & finis ſit totius vniverſi, & medium inter Deum, & genus humanum; vt Deus populum ſuum, quem amiſit per peccatũ, per Chriſtum hominem recuperaret. Et per hunc modum mortem debebat; cum mors corporis ſit nobilius debitum, & ſolutio, quæ Deo fieri poſsit ad honorandum ipſum, & ad diligendum ſuum proximum.* Quod loquatur Doctor de prædicta neceſsitate morali ſatis conſtát ex denodat. primi; & ſecundi tex.

Et illa verba; *ſi Dominus Ieſus non fuiſſet mortuus; quantum ad paſsionem mortis, & meritum poſſet ſuperari ab aliquo, qui poſsit mori pro Deo,* non ſibi volũt, minorem Chriſti affectum perfectiorem, & maioris meriti non eſſe cuiuſlibet hominis morte; ſed tantum volũt, quod ſi Chriſt' nõ fuiſſet mortuus, cũ nõ exhibuiſſet

nobilius

nobilius debitum, & ſolutionem, quæ Deo fieri poſſit ad honorandum ipſum, in hoc poſſet ſuperari ab eo, qui pro Deo mori poſsit; quia *creatura quantó plus exaltatur á Deo, tantó Deo debet eſſe humilior, ſubiectior, & ad illi obediendum promptior*, vt ait Doctor rat. 1.

NODVS II.

VIdetur deinde, Doctorem ſentire neceſſarium, & non liberum, quod Chriſtus moreretur: cum tamen oblatus ſit, quia ipſe voluit.

ENODATIO.

DIco: non ſentit Doctor, quod Chriſtus non liberé moreretur. Patet ex ipſo tex. illis verbis: *ſi non fuiſſet mortuus: quantum ad paſsionem mortis, & meritum*: merito enim libertatem concedit, vt in 2. contempl. diſt. 11. cap. 50. dicens: *tu, Domine, ordinaſti hominem per liberam voluntatem, quia cauſa ipſius es; vt vnuſquiſque ſit paratus ad acquirendum meritum.* Et in 2. ſent. quæſt. 82. *ad actum volendi eſt neceſſarium volens agens, quod ſit de eſſentia voluntatis; vt libertatem habeat ad agendum; vt meritum acquirere poſsit.* Idem tenet paſsim. Et de Chriſto conſtat ex 3. ſent. quæſt. 107. vbi ait Doctor: *homo Chriſtus per ſuum liberum arbitrium liberé dilexit bonum, & odit peccatum.* & in 2. ſent. quæſt. 48. inquit: *Chriſtus, in quantum homo, mortalis fuit, non naturaliter;* (vt videbitur in denodat. tex. 14.) *ſed per accidens, & liberé, ratione finis, ad honorandum ſcilicet Divinam naturam, quæ tantum ipſum exaltavit, & ad recreandum humanum genus.* Intelligit

ergo Doctor, quod Christus debuit mori, posito originali peccato, necessitate solum morali suæ magnitudinis perfectionis, quæ libertati non opponitur, vt laté dictum est in 1. tex explic.

Libertas autem, quam Doctor Christo concedit ad actus meritorios, libertas quidẽ est ad moriendum, verbi gratia, vel non moriendum; non ad bonum, vel ad malum, meritum, vel demeritum. Patet ex 3. sent. quæst. 107. vbi probat, quód *non potuit Christus assumere potentiam peccandi*. Et ad argumentum Eremitæ, videlicet: *non minor nobilitas bonitatis, virtutis, & voluntatis, & potestatis est in Christo vt homo, quam in aliis hominibus, imó multo maior sine comparatione: sed talis maior nobilitas non posset esse in Christo, vt est homo sine libero arbitrio: habuit ergo homo Christus liberum arbitrium eligendi bonum, & evitandi malum: & si liberum habuerit arbitrium, assumpsit potentiam peccandi: alioquin liberum arbitriũ habere nõ potuit; cũ de conditionibus liberi arbitrii sit eligere bonum, & evitare malũ in hac vita, vel é converso*. Respondet Doctor sic: *non bene scis quid est liberum arbitrium, nec bene recolis quid de ipso diximus in quæst. 68*. Dixerat enim de libero arbitrio hominis, *quod liberum arbitrium, est potentia, & instrumẽtũ per quod homo bonũ eligere potest, & vitare malum: & est essentiale animæ, non corpori: sed quia anima coniuncta participat cum corpore, & corpus appetit sentire per sensitivum, sicut comedere, coire, &c. & non habet appetitum de se electivum ad honestum, aut inhonestum; anima per acci-*

accidens liberum habet arbitrium, vt ratione naturæ ſenſitivæ poſsit appetere inhoneſtum comedere, coire, mingere, &c. & per inhoneſtum ſentire liberum habet arbitrium ad vitium imaginandum, intelligendum, recolendum, & diligendum. Item dixerat, *quod quoddam eſt liberum arbitrium ſpeculativum, & quoddam practicum. Liberum arbitrium ſpeculativum eſt, quando homo ſpeculationem ad deliberationem facit inter vnum, & aliud; ſicut quando homo conſiderat, vtrum eleemoſynam faciat, vel non: aut vtrum velit eſſe caſtus, vel luxurioſus, & ſic de aliis. Et iſtud liberum arbitrium electivum quoad bonum á natura rationativa dependet, & quoad malum á natura ſenſitiva, per peccatum originale. Liberum vero arbitrium practicum eſt poſt deliberationem factam; ſicut homo, qui liberé in virtute conſiſtit; aut in peccato, ſcilicet libere recolit, intelligit, & diligit peccatum; & libere recolit, intelligit, & odit virtutem, aut peccatum.* Et ſic liberum arbitriū non ſe habet per ſe ad ſenſibilia, ſed hæc appetit ratione ſenſitivæ naturæ: & dependet quoad bonum á natura rationali; quoad malum vero á natura ſenſitiva per peccatum originale infecta: at Chriſtus peccatum originale habere non potuit: igitur. Item liberū arbitrium non eſt potentia, per quam homo malum eligere poſsit, ſecundum id quod eſt, & habet á Deo; ſed ſolum ſecundum id quod eſt de nihilo, vt videbitur in explicat. tex. 17. hæc autem potentia ad malū in libertate creata, præciſé quia ex nihilo eſt, eſt tantū remota: & nonnunquam eſt impedita, nec poteſt fieri

S proxima

proxima, vt in beatis,& in confirmatis á Deo per donum perseverantiæ: sic fuit in Christo vi vnionis beatificæ, & etiam vi vnionis hypostaticæ: igitur. Cæterũ liberum arbitrium practicum sufficit ad meritum, & *quantó homo magis per liberum arbitriũ practicum agit, tantó magis meritum multiplicat*, vt ait pauló infra; hoc est quanto magis est in practica bené operãdi, & perseverantia. Ratio est, quia qui libertate practica agit, se potentem sentiens, & cum cognitione obiecti cõplacenter agit, ac ad sui ipsius dominium, & imperiũ movetur ad actum, in quo essentialiter stat libertas, vt dictum est in 1. tex explicat. Deinde libertas practica supponit libertatem speculativam ad operandum, vel non operandum, licet non semper ad bonum, vel ad malum, quæ transiit in practicam: sufficit ergo ad meritum, dum homo eliciat actus vt viator, seu sit in statu merendi.

Sed dices: libertas practica Christi non potuit supponere libertatem speculativam ad moriendum, vel non moriendum; quin etiam supponeret ad bonum, vel ad malum; habuit enim moriendi præceptum: potentiam igitur peccandi, seu ad malum, si habuit non moriendi potentiam.

Respondeo; quod in decreto Incarnationis fuit Christus prædefinitus, quoad substantiã ante permissionem peccati Adami, vt constat ex 2. tex. explicat. quo signo poterat habere passibilitatem, vel impassibilitatem corporis. Viso autem peccato Adami voluit

Christus in intentione sibi eligere passibilitatem corporis accidentalem, & violentam; & moraliter debuit, viso peccato, eligere, necessitate suæ perfectionis, ad honorandum Deum, & ad recreandum humanum genus; quia est mediator Dei, & hominum, & caput, & finis totius vniversi. Et tunc videns Deus voluntatem Christi mortem eligentem ad redimendum humanum genus, imposuit Christo præceptum moriendi: & sic imposuit Deus Christo præceptum de eo, quod Christus quoad substantiam prædefinitus in intentione elegit: ac proinde in executione prior fuit præfata Christi electio, quã præcepti obligatio, oblatusque est Christus, quia ipse voluit, & habuit libertatem ad moriendum, vel non moriendum, licet habuerit præceptum moriendi, & simul impotentiã non implendi præceptum, sive peccandi, & ad malum.

Eremitæ tandem dicit Doctor quæst. cit. 107 sent. *non bene recolis modum, per quem in Divino supposito factus fuit homo, vt in pluribus locis dictum est, quia sicut homo Christus factus fuit homo in Divino supposito, & non in se ipso; sic suum liberum arbitrium, & quicquid pertinet ad suam animam rationalem fuit creatum in Divino supposito; & corpus illius hominis factum fuit de Beatissima carne Virginis, quam assumpsit: & ideo liberum arbitrium Christi non potuit esse instrumentum ad eligendũ peccatum; quia creatum fuit in Divino supposito, quód infinité distat á peccato; sed sicut in patria beati libere bonum diligunt per liberum arbitrium, & malum odiunt*

ſine potentia peccandi; quia in beatitudine, ſanctitate, & gloria confirmati ſunt: ſic & multo magis homo Chriſtus per ſuum liberum arbitrium liberé dilexit bonum, & odit peccatum; cum homo factus fuiſſet in Divino ſuppoſito, in quo factus fuit Deus, & in quo potentiam peccandi aſſumere non potuit, vt probatum eſt. Et habuit liberum arbitrium, & fuit, & eſt nobilior homo, quã omnes homines, in magnitudine bonitatis, virtutis, voluntatis, ſanctitatis, & poteſtatis. Adhuc dico tibi, quod poteſtas peccandi non dicit perfectionem, ſed imperfectionem; & ſi diceret perfectionem Deus ipſam haberet, quod eſt impoſſibile.

TEXTVS XII.

IMpoſsibile eſt, Deum cum ſit iuſtus iniuſté operari: ſed in eodẽ inſtanti indiviſibili, in quo fuit facta ſatisfactio pro peccato, debuit fieri ab inferis liberatio illorum, qui in inferis detinebantur ratione peccati originalis; aliter iniuſté detinerentur: ergo oportuit Dominum Ieſum, quantum ad Animam, quæ coniuncta erat Deitati ad inferos deſcendere. Cap. quod deſcenderit ad inferos rat. 3.

NODVS.

COntendit Doctor deſcenſum fuiſſe ex debito, & neceſsitate, ne Deus eſſet iniuſtus.

ENODATIO.

DIco: non ſentit Doctor, deſcenſum ad inferos fuiſſe neceſſarium abſolutè, & ſimpliciter; ſed ſolum intelligit fuiſſe neceſſarium neceſsitate morali

per-

perfectionis ex hypotesi. Constat ex 1. & 2. tex. explic. vbi dictum est talem necessitatem libertati, & gratiæ non derogare. Et probat Doctor quinque rationibus tantum moralem necessitatem ex hypotesi in Deo arguentibus. Et illa verba: *impossibile est, Deū cum sit iustus iniusté operari*, & illa: *aliter iniusté detinerentur*, tantum sibi volunt, quod si in instanti, in quo fuit facta satisfactio, non fieret liberatio illorum, qui in inferis detinebantur ratione peccati originalis; recreatio non esset facta secundum id quod requirit, & exigit iustitia Dei, quum debuit moraliter fieri; quia *Deus contra iustitiam velle nō potest cum misericordia, nec é conversó*, vt inquit Doctor in 3. sent. quæst. 112. hoc est Deus potestate ordinata, & moraliter velle non potest contra id quod requirit, & exigit iustitia Dei, cum misericordia, nec é conversó. Vide explicationē tex. 6. & 7.

TEXTVS XIII.

SI primi parentes non peccassent, tam ipsi, quam omnes derivati ab eis essent virtuosi virtutibus politicis naturaliter; & habitus virtutum politicarum essent eis naturales: eo quod natura humana á sui institutione ordinata est ad virtutes, vt supra proximé declaratum est; & sic virtuosos homines generaret: videmus autem contrariū: quia omnes homines, qui volunt esse virtuosi prædictis virtutibus habēt eas per acquisitionem, & non per naturam. Ergo quod primi parentes peccaverunt rat. 2.

NODVS.

QVomodo si primi parentes nõ peccassent, virtutes politicæ reliquis hominibus essent naturales?

ENODATIO.

DIco: intelligit Doctor, quod si primi parentes non peccassent, habitus virtutum politicarum reliquis hominibus essent naturales, hoc est habitus illos haberent homines per naturalem viam generationis, seu á nativitate, vná cum iustitia originali: *eo quod* vt inquit in textu, *natura humana á sui institutione ordinata est ad virtutes; & sic virtuosos homines generaret:* isti enim á nativitate haberent habitus iustitiæ, prudentiæ, &c. Nunc vero *homines, qui volunt esse virtuosi prædictis virtutibus, habent eas per acquisitionem, & non per naturam*, seu naturalem viam generationis. Quod autem præfati habitus sic recté dicantur naturales, patet, quia *naturale dicitur id omne, quod habetur á nativitate, qua significatione dicimur*, natura filii iræ, *Ephes.* 2. *& hoc modo iustitiam originalem fatemur dici posse naturalem*, vt inquit Card. Bellar. tom. 4. lib. de gratia primi hominis cap. 5.

TEXTVS XIV.

NVlla pœna imponitur á iusto iudice sine culpa: sed omnes homines tam iniusti, quàm iusti iustitia morali subjiciuntur á sui nativitate multis pœnis, tribulationibus, doloribus, & ærumnis: ergo ratione alicuius culpæ, quæ est in vtrisque: sed in iustis iustitia morali non est peccatum, nec culpa peccati actualis:

ergo

ergo oportet tam iuſtis, quam iniuſtis eſſe aliquod peccatum commune, ratione cuius omnes puniantur; aliter Deus eſſet iniuſtus: nullum autem peccatum poteſt eſſe cõmune omnibus hominibus iuſtis iuſtitia morali, & iniuſtis, niſi peccatũ originale: ergo ipſum eſt generale corporaliter. Cap. quod peccatũ primorum parentum ſit generale corporaliter. rat. 2.

NODVS I.

COntendit peccatum eſſe corporaliter.

ENODATIO.

DIco: non ſentit Doctor, quod peccatum proprié dictũm ſit primó, & per ſe in corpore; ſed tantum per accidens, quatenus corpus facit totum cum anima; peccatum enim á toto incurritur. Conſtat ex árb. morali part. 2 cap. de loco vitii, vbi ait Doctor: *& iſte locus non eſt corporalis; ſed eſt ſpiritualis*, & infra: *ſunt habitus vitioſi accidentaliter in loco corporali, videlicet in corpore humano, quod eſt habituatum de habitu vitioſo accidentaliter; quia eſt collocatum in anima, in qua totum extenſum eſt. Et in hoc paſſu datur cognitio, quomodo corpus peccat accidentaliter, in quantum de peccato eſt habituatum accidentaliter per habitus vitioſos in quibus ſunt tres potentiæ animæ. Et ideo eſt ſignificata reſurrectio, vt corpus Petri, qui moritur in mortali peccato, habeat pœnam pro eo; quia ſtetit inſtrumentum animæ ad peccandum, cum illo coniunctæ.* Et de peccato originali patet ex Apoſtroph. cap. quod peccatum primorum

 paren-

parentum sit generale quatũ ad animam.rat.1.vbi ait: *cum ergo tota species humana sit corrupta, & infecta peccato, & inimica Dei: immediate cum anima adveniens corpori constituit hominem, quam cito verum est dicere, quod est homo; tam cito in quantum est homo est inimicus Dei.* Et sic non ponit inimicitiam Dei in homine, quousque anima adveniat corpori; proinde peccatũ proprié dictum erit tantum in anima primó, & per se. Intelligit ergo Doctor in textu peccatum esse in corpore dispositivé; quia corpus ratione peccati Adami, in quo omnes peccavimus, propagatur corruptum, & infectum: á quo inficitur anima per participationem, quam habet cum ipso infecto, in toto infecto; & totum, seu homo peccatum incurrit; quia filius Adami, in quo peccavit. Hoc docet Doctor in 2. sent. quæst. 90. dicens: *veniente sic anima ad corpus, & corpore ad animam, vt supra dictum est, constituũt tertium, quod est homo, in quo anima mutata est, & infecta, nõ quoad suam essentiam, & naturam; sed quoad hoc, quod ipsa est in homine, qui naturaliter agit de ipsa in corpore, vt sit forma eius:* & ita anima inficitur á corpore infecto in toto infecto: ideo in responsione ad argumentum Erem. ait: *quando dicis, quod forma nobilior est, quam materia, verum dicis: & ratio tua valeret, si anima ageret de corpore, & non homo: sed quia homo agit de partibus suis, inficit cum suo corpore animam.* Tandem in Apostroph. loc. cit. inquit: *qui vult intelligere, quomodo peccatũ est in anima, consideret, quomodo tota species*

huma-

humana est infecta, & corrupta peccato: & quod anima non est nisi vt sit homo: & consideret, quod Deus nō debet mutare ordinem, & iustitiam in toto ratione partis; cum totum nō sit propter partem, sed pars propter totum. Vnde totum, seu homo cum sit filius Adami, in quo peccavit, debet peccatum incurrere, cum anima corpori infecto coniungitur. Hoc propter docet in 3. sent. quæst. 96. Virginem Beatam mundam fuisse, & purā in ipso semine deciso, de quo fuit á suis parentibus, seu Virginis corpus ab specie humana infecta peccato eductum fuisse purum, & mundum, & nullam habuisse infectionem, ne ob istam totum incurreret peccatum originale, & anima inficeretur; quia nec Mariā peccasse docet in Adamo, vt videbitur in sequentibus.

NODVS II.

VIdetur deinde docere, humanas miserias esse ex natura sua pœnam peccati: cum tamen B. Virgo, absque omni culpa, etiā originali, eas miserias subierit.

ENODATIO.

NOtandum primó, quód B. V. Maria præelecta fuit in Matrem Dei, non solū ante peccatū Adami; sed etiam ante omne decretū creationis rerum; vt constat ex 2 tex. explic. fuit proinde primó electa ad iustitiā originalē, quā Adamus. Concepta ergo fuit in originali iustitia; vt principium humanitatis, quod fuit in Adam cum rectitudine debita originalis iustitiæ, quam postea amisit sibi, & posteris, per mediū humanitatis, quod fuit in Maria, originali iustitia

reducta, cum hac transiret ad finem humanitatis, qui fuit in Christo, vt laté docet Doctor in lib. de Concept. per totum, ac in 3. sent. quæst. 96. Hinc habuit Beata Virgo ea, quæ ad originalem iustitiam pertinebant. Notandum tamen, quod immortalitas, impassibilitas, & dominium rerum in natura humana creata non pertinebant ad iustitiam originalem, sed ad ipsius statum, seu innocentiæ, vt advertit Canonicus Belverius in apologia art. 51. in dilutione anticimenonis 80. Idem de immortalitate monet Castillo de Incarnatione tract. de præservat. V. M. disp. 2. quæst. 2.

Notandum præterea, quód Christus non assumpsit potentiam proximam corruptionis, & putrefactionis; vt docet Dr. in 3. sent. quæst. 11. & P. Marçal in resol. eiusdem quæst. Similiter nec habuit V. Maria; quia non habuit peccatum, per quod corpus factum fuit corruptibile, & putrefactibile, vt ibidē docent Doctor, & P. Marçal. Et idem de immortalitate tenent. Fuerunt tamen Christus, & V. Maria per accidens, & ab extrinseco mortales, vt docet Doctor in 2. sent. quæst. 48. dicens: *Christus in quantū homo mortalis fuit, non naturaliter; sed per accidens, & liberé ratione finis; ad honorandum scilicet Divinam naturam, quæ tantum ipsum exaltavit, & ad recreandum humanum genus. Sicut homo sanus, dum sanus est non est mortalis naturaliter; sed per accidens est mortalis, quando alius homo ipsum vulnerat, & interficit.* Et superiús: *corruptio, mortalitas, & impedimentū in homine sunt propter peccatū originale.*

Et

Et P. Marçal resol. eiusdē quæst. dicit: *corruptibilitatē, & mortalitatem hominis intrinsecam provenire ex peccato originali: quare sic nō fuit naturaliter mortalis Christus; sed per accidens, & ratione finis ad honorandum scilicet Divinam naturam, quæ tantum exaltavit ipsum, & ad recreandum humanum genus. Similiter V. Maria non fuit mortalis, nisi tantum extrinsecè, & ratione status pœnalis, & vt conformaretur Christo capiti.* Et in 3 sent. quæst. 111. inquit Doctor: *corpus Christi mortale fuit per accidens sicut per vulnera; vt recreatio fieri potuisset per mortem accidentalem; sicut mors naturalis humani generis, quæ per accidens facta fuit, scilicet per peccatum primorū parentum.* Et infra: *quando dicis quod Christus ratione innocentiæ suæ mortem non debebat verum dicis: sed verū non dicis ratione sui officii, scilicet officii recreationis, quod sibi soli pertinebat; cum principium, & finis sit totius vniversi; & medium inter Deum, & genus humanum: vt Deus populum suum, quem amisit per peccatū, per Christū hominem recuperaret. Et per hunc modum mortē debebat; cum mors corporis sit nobilius debitum, & solutio, quæ Deo fieri possit ad honorandum ipsum, & ad diligendum suum proximum.* Et superius: *mors fuit in humano genere per peccatum originale duobus modis, scilicet naturaliter, & spiritualiter. Naturaliter, quia corpus primi hominis, quod immortale erat,* supple, per gratiam, *antequā peccasset, post peccatum fuit mortale, corruptibile, & putrefactibile.* Et P. Marçal resol. eiusdem quæst. ad hoc argumentum, nempe: *Christus fuit innocens, ac proinde*

nullius mortis debitor: ergo ſicut voluit per violentã mortem redimere genus humanum; ſic poterat morte naturali genus humanum recreare. Reſpondetur, inquit, *conceſſa ſequela antecedentis de debito Chriſti, vt ſingularis perſona eſt; & negata de debito Chriſti ratione officii, & vt publica perſona, ac mediator inter Deum, & genus humanum (vt innuit Doctor, & expreſsé diſtinguit noſter Franciſcus Carriere in fidei catholicæ digeſto, tom. 1. quæſt. 15. de Chriſto, in initio, pag.* 354. *) negando conſequentiam.* Hinc.

Dico: nõ intelligit Doctor, humanas miſerias eſſe ex natura ſua pænam peccati; itavt Deus, vt iuſtus iudex, ſeu de potentia ordinata, & regulata per iuſtitiã, bonitatem, magnitudinem, &c. ſeu moraliter non poſsit aliquem donare aliquibus miſeriis, quin habeat culpam. Conſtat ex locis cit. & ex lib. de Concept. part. vltima in reſponſione ad 3. argument. Iacobitæ, vbi ait: *nec te etiam arguere aportet, quod Virgo ſit concepta in peccato originali, propter hoc quod mortis articulum paſſa eſt: cum etiam in Chriſto propter ſui mortẽ concludere poſſes iſtud idẽ; quod quidẽ impoſsibile claré liquet.*

Intelligit ergo Doctor, quód humanæ miſeriæ nõ poſſunt de poteſtate Dei ordinata alicui imponi, ſeu ab aliquo contrahi per modum pænæ, abſque culpa. Patet ex ipſo tex. illis verbis: *nulla pæna imponitur á iuſto iudice ſine culpa.* Chriſtus autem, & ſua Immaculata Mater, qui nõ peccarunt in primo parente, vt dictum eſt, & videbitur in ſequentibus, non dicuntur

illas contrahere per modum pœnæ: sed Christus dicitur aliquas assumere per modum medii ad finem redemptionis humani generis, & ad honorandum Divinam naturam, quæ tantum ipsum exaltavit; ac vt ostenderet se esse verum hominem: *tametsi enim fames, verbi gratia, sitis, aliæque passiones similes á peccato originem ducant, non tendunt ad peccatum; sed ad manifestandum humanæ naturæ veritatem, & complendum redemptionis opus*, vt ait P. Marçal resol. cit. 111. Similiter V. Maria dicitur aliquas humanas miserias subire, ratione status pœnalis, & vt conformetur Christo capiti.

Notandum tamen, Deum moraliter non potuisse aliquem donare miseriis humanis absque motivo, ratione, seu causa. Vt homines omnes, qui peccarunt in Adamo miserias humanas contraherent per modum pœnæ, motivum sufficiens fuit ipsum peccatum. Et ex generalitate miseriarum hominum arguit Doctor in textu, motivum, & causam fuisse peccatum primi hominis; & ipsas miserias contrahi ab omnibus per modum pœnæ. Motivum autem, vt Christus aliquas miserias assumeret, similiter & V. Maria, subiret fuit vt superiús dictum est.

TEXTVS XV.

SIcut in primis parentibus tota species humana fuerat exaltata super omnes species corporales per gratiam; in tantum, quod si servassent rectitudinem, acquisivissent pro se, & sua posteritate beatitudinem;

propagassent enim filios iustos, quales ipsi erant, qui habuissent per naturam, quod primi parentes habuerunt per gratiam: sic ratione peccati, & culpæ primorum parentum tota species humana, quantum ad primos parentes, & eorum posteritatem est subiugata infectioni, & pœnæ: & habet primorum parentũ posteritas per naturam, quod primi parentes habuerunt per culpam: aliter Deus plus dedisset homini sine aliquo merito per gratiam, quam puniret propter culpam: & sic sua iustitia esset defectiva, quod est impossibile: oportet ergo quod iustitia Dei tantum puniat in homine propter culpam, quantum dedit per gratiam. Cap. quod peccatum primorum parentum sit generale quantum ad animam. rat. 1.

NODVS I.

VIdetur ibi supponere necessarium, quod eo ipso, quod primi parentes peccaverint, etiam filii futuri sint in peccato: & é contra, quod si non peccassent, necessario, & ex natura rei homines generarentur iusti: quod certé non esset, nisi ex dispositione Dei libera, & ex vi voluntatis pacti.

ENODATIO.

DIco: non sentit Doctor necessarium esse, & ex natura rei, quod si primi parentes nõ peccassent, filii futuri generarentur iusti, & haberent per naturã, seu naturalem propagationem, quod primi parentes habuerunt per gratiam, & é converso, eo ipso, quod primi parentes peccaverint, etiam posteri propagentur

cum peccato: ita vt posterorum propagatio, quá talis, secluso pacto, & dispositione Dei libera, sequatur necessarió conditionem primorum parentum. Imó docet Doctor, ideo aliquem per naturalem generationē contrahere peccatum originale, & peccasse in Adamo, quia sub pacto comprehenditur; & ideo non contrahere, nec peccasse, quia nō comprehenditur. Constat ex lib. de Concept. part. vlt. in responsione ad 1. argum. Iacobitæ, vbi ostendit, Virginem absque peccato originali fuisse conceptam, quia hæc, vt probat, sub lege, & statuto vniversali comprehensa non fuit. Et in Apostroph. ad Deiparam Virginem ait: *Materq; Domini mei, semper augusta, cuius ea perpetuó dignitas extitit, licet Adam non peccasset, vt in Divino creandarū rerum concilio, tu prælecta, Virgo Deipara, cum filio Christo inducta sis in primum illud decretum, quo Christus constitutus est princeps, & apex omnium perfectionum.* Et infra: *hinc denique mirabilibus donis ea lege statuit ornare Deus Adamum, vt si vetitum quidem non ederet fructum, ea dona sibi, posterisque servaret: sin ederet, eadem amitteret dona sibi, suisque. Hanc legem postremo loco conceptam, tu Virgo fælix, non subiisti, quæ iam ante hanc legem fini Incarnationis destinata fueras, & omnino de te erat iam definitum: atque ita stans Adamus, nihil tribuit tibi, cadens, nihil eripuit.* Et pauló infra: *cæteri Adæ filii, quia prædicta lege, & pacto Dei cum Adam inito concludebantur, per Adam in Christo donis ornandi fuissent: non tu Virgo Beata, quæ lege eiusmodi non includebaris, &*

omnia per Christum proximé sortita es. Addit: *te vero Christus Matrem suam, initii ratione casuram servavit, ratione finis, non modo ne caderes, sed etiã ne casura esses.* Et inferius: *te non eximens solum á debito; sed liberaliús etiam largiens, ne debitrix esses.* Et pauló post: *nõ modo te reddens immunem á peccato originis, verum á debito quoque peccati.*

Et illa verba: *habuissent per naturam, quod primi parentes habuerunt per gratiam.* Et illa: *habet primorum parentum posteritas per naturam, quod primi parentes habuerunt per culpam,* tantum sibi volunt, quod posita dispositione Dei libera, & pacto, habuisset primorũ parentum posteritas per naturalem propagationem, si Adam non peccasset, quod primi parentes habuerunt per gratiam. Nunc vero posteritas habeat per naturalem propagationem, quod primi parentes habuerunt per culpam. Patet ex ipso textu illis verbis: *propagassent enim filios iustos.* Quod autem Doctor sic recté loquatur, docet Card. Bellarm. tom. 4. lib. de gratia primi hominis cap. 5. vbi ait: *naturale dicitur id omne, quod habetur á nativitate, qua significatione dicimur,* natura filii iræ, *Ephes. 2. & hoc modo iustitiam originalem fatemur dici posse naturalem.* Idẽ tenet Gregor. de Valent. lib. de peccato originali cap. 1.

NODVS II.

VIdetur deinde docere, non posse Deum infra culpæ meritum punire.

ENODA-

ENODATIO.

DIco: non sentit Doctor, quód Deus non possit potestate adhuc ordinata, & moraliter infra culpæ meritum punire intensivé: imó docet punire citra condignum. Sic in 3. sent. quæst. 112. dicens: *Deus contra iustitiam velle non potest cum misericordia, nec é converso*, hoc est Deus velle non potest ordinaté, & moraliter contra id, quod requirit, & exigit iustitia Dei cum misericordia, nec é converso. Item in Apostr. cap. quod sit recreatio, probat recreationem moraliter necessariam, vt homo liberaretur á damnatione æterna, quam homo propter Adami peccatum, absque vllo remedio merebatur. Intelligit ergo primó, Deum non posse moraliter, (pro morali necessitate vide explic. 1. & 2. tex.) & secundum id quod requirit, & exigit iustitia, & cæteræ perfectiones Divinæ, extensivé infra culpæ meritum non punire, hoc est non posse non punire totam humanam speciem, videlicet primos parentes, & eorum posteros omnes, qui peccarunt in Adamo; & non posse non punire quoad corpus, & quoad animam Secundo vult, Deũ moraliter teneri hominem punire intensivé proportione quadam inter culpam, & pœnam, vt maiori culpæ maior pœna respondeat; quia *in Adam fuit species humana tota exaltata super omnes alias species corporales, quæ omnes creatæ sunt ad serviendum homini: & peccavit Adam, quare secundũ iustitiã Dei, quæ est magna, oportet,*

quod ſicut per gratiam tota ſpecies humana in Adam fuit exaltata in magnitudine bonitatis; ita poſtmodum tota ſit diruta in magnitudine malicia ratione iuſtitiæ, in tantum, quod ſit peioris conditionis, quam aliqua alia creatura ratione peccati, & culpæ, & maiori pœnæ ſubiugata, vt inquit Doctor in arb. Apoſtol. de flor. arb. cap. quod peccatū originale ſit in anima. Vult tandem moraliter neceſſarium, quod ſicut ſi primi parentes ſervaſſent rectitudinem, acquiſiviſſent pro ſe, & ſua poſteritate æternam beatitudinem; ſic homines nunc, qui moriuntur in peccato originali habeant pœnam æternam, vt docet loc. cit. dicens: *eſt ergo ſpecies hominis in peiori conditione propter peccatum originale, quam ſpecies pomerii, equi, piſcis, & gruis; quoniam iſta individua poſt eorum mortem pœnam non habent; & ita non ſunt de tam vili conditione, ſicut ſunt homines qui moriuntur in peccato originali.* Et in lib. de planctu ait: *in Deo iudicare, & parcere æqualia ſunt, ſecundum rectitudinem eius virtutum, quarum nulla eſt compatibilis cum diminutione iuſtitiæ;* quæ quidem poſtulat, omnem decendentē cum peccato damnari: ſicut miſericordia expoſcit, omnē, qui cum gratia decedit, ſalvari. Quæ, vt ſic, ſunt æquales. Et ſic docet Doctor, quod ſi Deus minus puniret propter culpam, quam dederit homini ſine aliquo merito per gratiam, ſua iuſtitia eſſet defectiva in extrinſeca operatione; hoc eſt deficeret ab eo, quod facere debet, quod eſt moraliter impoſsibile; & vide explicationem textus 7.

TEX

TEXTVS XVI.

OMnis anima rationalis, quæ movet corpus suum ad vtendum iis, quorum vsu corpus non est dignum, peccat, & per consequens est subiecta peccato: sed anima immediaté cũ est infusa corpori movet corpus: aliter nõ esset forma corporis; nec per consequẽs pars substantialis hominis; nec homo esset homo per animam rationalem: ad corporis necessitates, vt ad augmentum, vel ad sumendum victũ, vt cibũ, vel potum, & ad vtendum rebus, quibus vivit, quæ sunt creaturæ Dei; quorum vsu non est dignũ corpus alicuius hominis; cum sit corruptum, & infectum; eo quod primi parentes, á quibus omnes homines habuerunt corpora sua, fuerunt contra Deum Creatorem suum: ergo anima ex hoc habet culpam generalem: & sic sequitur, quod peccatũ est generale omnibus hominibus quantum ad animam. Cap. quod peccatum primorum parentum sit generale quantum ad animam. rat. 2.

NODVS.

VIdetur sentire, nos in omnibus peccare.

ENODATIO.

DIco: non intelligit Doctor, omnem animã toties peccare peccato actuali, adhuc veniali, quoties movendo corpus, corpus actu vsum capit ex rebus, qualia sunt augmentũ, cibus, potus, &c. Constat primó ex ipso textu illis verbis: *anima immediaté cum*

est infusa corpori, movet corpus ad corporis necessitates, vt ad augmentum, vel ad sumendum victum, vt cibum, vel potum, & ad vtendum rebus, quibus vivit: anima enim immediaté cum est infusa corpori, nō peccat peccato actuali, adhuc veniali; cum tunc non habeat vsum rationis, qui requiritur ad actuale peccatum, vt tenet in 2. contempl. dist. 11. cap. 51. dicens: *cum potentia sensitiva, & imaginativa obtulerint aliquid rationali; tūc rationalis figurat, & declarat quicquid est boni, vel mali: & cum perceperit, & figuraverit bonum, aut malum, tunc sentitur in homine libera voluntas ad faciendum bonum, vel malum.* Constat idem, adhuc in adultis, ex lib. phantast. cap. 5. vbi ait Clericus: *Raymunde naturaliter quando video pulchrum obiectum, ratione pulchritudinis obiecti, moveor ad delectandum, vt quando video pulchram mulierem, pulchrum lectum, pulchram domum, pulchrum ensem, auro, argentoque ornatum, pulchrū equū, pulchras vestes, pulchram familiam, & huiusmodi: & ideo naturaliter in prædictis obiectis oblector: quia mea potentia visiva, & ipsa obiecta me movent ad delectandum.* Ait autem Doctor: *delectatio, quam prædicas naturaliter bona est: quia omnis actus naturalis bonus est, cum prodeat ordinatione Divina: veruntamē si tu propter te, & vt acquiras delectationem videndo; non autem te ipsum perficias, Deum laudando, phantastiaris; & cū ipsis visibilibus servias, phantasticus es: & quia præceptum est diligere suum proximum, & ego tuus proximus sum; ideo super te contristor, quod visibilibus, vt debes, non vtaris.*

Sensus

Sensus est, quod si homo prædicta ordinet ad se ipsũ, & non ad Deum, (intellige saltem virtualiter, vel interpretativé, intellige quoque secundum quid; alioquin si non ordinaret ad Deum vltimum finem, seu averteret á Deo simpliciter, mortaliter peccaret) venialiter peccat: si autem saltem virtualiter, vel interpretative prædicta ad Deum ordinet, venialiter adhuc non peccat. Similiter est de augmento, cibo, potu, &c, Constat tandem ex Apostr. cap. quod peccatum primorum parentum sit generale corporaliter rat. 2. vbi ait: *omnes homines tam iniusti, quam iusti iustitia morali subiiciuntur á sui nativitate multis pænis, tribulationibus, doloribus, & ærumnis: ergo ratione alicuius culpæ, quæ est in vtrisque: sed in iustis iustitia morali non est peccatũ, nec culpa peccati actualis: ergo oportet tam iustis, quam iniustis esse aliquod peccatum commune, ratione cuius omnes puniantur.*

Intelligit ergo Doctor, quod omnis anima rationalis inficitur, & contrahit originale peccatum, immediaté cum est infusa corpori infecto, & corrupto, per participationem, quam habet cum ipso infecto, in toto infecto: seu potius totum, sive homo peccatũ incurrit, quia filius Adami, in quo peccavit, vt dictũ est in explic. tex. 14. Seu contrahit anima peccatum originale, cum corpus informat, movendo ipsius appetitum ad vtendum prædictis rebus, quarum vsu nõ est dignum corpus corruptum, & infectum; eo quod Adam, á quo omnes homines habuerunt corpora sua,

fuit contra Deum Creatorem suum, vná cum posteris, qui in ipso peccarunt. Et ita vult tantummodo Doctor, quod anima, immediatè cum est infusa corpori infecto, & corrupto, habeat culpã: minimé vero toties culpam habeat, movendo corpus, quoties corpus actu vsum capit ex rebus. Patet ex arb. Apostol. de flor. cap quod peccatum originale sit in anima, vbi ait Doctor: *& in hoc passu est significatum, quod peccatũ originale se extendit ad animam rationalem cuiuslibet hominis, secundum inclinationem, quam diximus: quoniam corpus hominis infectum est, & corruptum: & ita corruptum sicut est, anima rationalis ipsum movet ad elementandum, vegetandum, & sentiendum, & movet se ipsam ad necessitates illius, videlicet ad comedendum, bibendum, habitandum, & ad induendum, & sic de aliis, quæ sunt extra, quæ sunt creaturæ Dei, quibus vti corpus nõ est dignum, in quantum Adam contra suum fuit Creatorem.* Et expresśiús constat ex exemplari vernaculo ipsius Apostr. vbi ait Doctor: *é car anima es forma del cors, é mou lo cors á pendre vide de les plantes, é dels bruts animals, é dels altres coses á ell necessaries, mou lo cors iniustament, é contra dret, é raho: é per aço cau en peccat original.* Latiné: *& quia anima est forma corporis, & movet corpus ad accipiendum vitam de plantis, animalibus brutis, & aliis rebus ei necessariis; movet iniusté corpus, cõtra ius, & rationem: & ideo in peccatũ originale incidit.* Movet quidem iniusté corpus, contra ius, & rationẽ; quia ille qui est contra Deum, quamvis humanũ ius

habeat

habeat in creaturas; non habet tamen ius supernaturalis dignitatis; seu quo iustus, & Dei amicus dicatur, & dignus sit illarum vsu; quia vt ait Doctor in 3. sent. quæst. 112. *omnia corpora supercælestia, & corpora inferiora creata fuerunt ad serviendum homini, vt per hominem servientem Deo, suum finem in Deo attingerent.*

TEXTVS XVII.

SI anima non inclinatur ad aliquem actum corporalem, nullus actus hominis erit vitiosus; eo quod nullus actus factus sine voluntate est vitiosus: videmus autem in hominibus multos actus vitiosos: ergo oportet quod anima inclinetur ad illos. Cap. quod peccatum primorum parentum sit generale quantum ad animam rat. 3.

NODVS.

DOcet, quod si anima non inclinaretur naturaliter ad malum, non peccaret homo: & tamen constat, Adamum peccasse, absque inclinatione naturali ad malum.

ENODATIO.

NOtandum primó, vt aitDoctor in 2. sent. quæst. 81. *quod in homine sensitivum naturaliter, & simpliciter per se non habet appetitum ad acquirendum virtutes, scilicet iustitiam, prudentiam, fortitudinem, & tẽperantiam: imo absoluté appetit delectari in omni delectabili sensibili: & quia homo habere non potest bonũ, magnum, &c. recolere, intelligere, & amare sine virtutibus:*

dedit Deus animæ hominis virtutem, & potestatem, per iustitiam scilicet originalem, *supra corpus, vt ipsum posset refrenare, & ordinare.*

Notandum deinde, vt inquit quæst. 68. *quod liberũ arbitrium est potentia, per quam homo bonum eligere potest, & vitare malum: & est essentiale animæ, nõ corpori. sed quia anima coniuncta participat cum corpore, & corpus appetit sentire per sensitivũ, sicut cõmedere, coire, &c. & non habet appetitum de se electivum ad honestum, aut inhonestum: anima per accidens liberum habet arbitrium, vt ratione naturæ sensitivæ possit appetere inhonestum comedere, coire, mingere, &c, & per inhonestum sentire liberum habet arbitrium ad vitium imaginandum, intelligendum, recolendum, & diligendum.* Addit: *liberum arbitrium electivum, quoad bonum á natura rationativa dependet, & quoad malum á natura sensitiva per peccatum originale.*

Notandum denique, vt ait Doctor in lib. de anima ration. part. 3. quod *animæ libertas est vna suarum partium naturalium; & quia anima est á creante est illa libertas creata: & cum sit contrarietas inter Deum, & peccatum, est impossibile, quod Deus creaverit aliquam creaturam, quæ sit peccati occasio* Et pauló infra: *homo est ex nihilo creatus, & in quantum est ex nihilo creatus, si Deus non sustentaret ipsum reverteretur ad illud, vnde est: & homo habet libertatem in habendo inclinationẽ ad esse, & non esse: & propter hoc libertas, quam habet secundum inclinationem ad non esse, est inclinatio, quam habet ad*

peccatum

peccatum, quando ipsum committit: quoniam peccatum nihil aliud est, nisi facere illa, quæ esse non debent, & quæ cum esse nullam habent concordantiam: & ideo illa libertas, quam habet ad peccandum, est de inclinatione, quam homo habet ad non esse, in quantum est ex nihilo creatus. Hæc Doctor. Et ita *cum liberum arbitrium sit creatum de nihilo; hinc est, quod secundum id, quod habet á Deo potest tendere in bonum, & augmentum; secundum id vero, quod est de nihilo, potest in malum tendere, & decrementum*, vt inquit P. Marçal in summ. Lulliana lib. 2. resol. 68. Hinc patet, quod Adam ante peccatum habuit remotam inclinationem ad malum. Primó ratione sensitivæ naturæ, quæ vt ait Doctor, *absoluté appetit delectari in omni delectabili sensibili*. Deinde in quantum erat ex nihilo creatus. Et habuit Adam libertatem operandi secundum inclinationem ad bonum, vel secundum inclinationem ad malum. Et quia remota potentia ad malum, quæ fuit in Adam ante peccatum, non erat impedita; (sicut impedita est in beatis, & in confirmatis á Deo per donum perseverantiæ, ac in Christo non solum vi vnionis beatificæ, sed etiam vi vnionis hypostaticæ) ideo potuit poni in actu, transiens de remota ad proximam. Post peccatum vero Adami habet homo proximam inclinationem & pronitatem ad malum: per peccatum enim amisit rectitudinem, seu originalem iustitiam, quá sensitiva natura refrenata, & ordinata erat, & totus homo ad Deum recté compositus. His positis.

Dico: intelligit Doctor, quod eo modo, quo homo inclinatur ad malum, inclinetur etiã anima; *eo quod*, vt inquit, *nullus actus factus sine voluntate est vitiosus*: ac inde cum homo, dato originali peccato, proximé inclinetur ad malum; videmus enim in hominibus multos actus vitiosos, & malos, oportet, quod anima proximé inclinetur ad malum.

TEXTVS XVIII.

OMnis natura sequitur naturaliter cursum, & ordinem, ad quem creata est, nisi superveniat impediens: sed anima est creata ad intelligendum, & non ad ignorandum; ad recolendum, & non ad obliviscẽdum; ad diligendum bonum, & non ad odiendum; ad gloriam, & non ad pœnam, &c. Cap. quod peccatum primorum parentum sit generale quantum ad animam. rat. 5.

NODVS.

NOn dato adhuc peccato originali, non naturaliter, nec sine gratia sequeremur; imó nec possemus sequi ordinem, ad quem fuimus creati, vtpote supernaturalem.

ENODATIO

DIco: non sentit Doctor, quod adhuc non dato peccato originali, sequi posset homo sine gratia ordinem supernaturalem. Constat ex lib. variarum quæstionum, quæst. 89. vbi sic loquitur de anima rationali: *plus potest per se ipsam demereri, quam mereri:*

nam

tiam per se tantum potest mereri pœnam, quod est demereri gloriam; sed per se tantum numquam gloriã mereri potest; quia sine auxilio, & gratia Dei merita gloriam non attingunt. Et in 2. contempl. dist. 11. cap 52. ait: *si Domine, postquam hominem creasti, in illo non poneres tuam gratiam; sed permitteres illũ vti sua natura, quæ ex parte privationis venit, iam nullum bonum facere posset homo.* Et dist. 18. cap. 83. loquendo de auxilio dicit: *Domine cum hominis sapientia terminata sit, & infra certum terminum sint totæ hominis vires; quando homines, qui tui amore labores, & tormenta subeunt, vt tibi laudes, honorem, & servitium præstent; cum indigeant sapientia, & posse, & velle, quæ sint vltra proprium terminum; tunc tu, Domine, illis iuvamen, & auxilium confers; & facis, quod eorum sapientia, & posse, & velle transcendant proprium terminum.* Et in 1. sent. quæst. 16. inquit: *SpiritusSanctus posuit in voluntate naturam,* hoc est habitum charitatis, *cum qua producere posset, ipso coadiuvante, de potentia in actu actum charitatis.* Et quæst. 34 in respons. ad arg. Erem. ait: *concludis cum meritis antiquis, & ego cum novis quæ esse non possent sine divina gratia, & auxilio.* Et in lib. de centum Dei nom. nomine, 6 gratiam ait: *heu me, cum animadverto gratiam, quam Deus facit illis, á quibus vult amari: & quot sunt illi, quibus gratiam non facit, vt ab eis diligatur: tunc percipio gratiam esse donum maximi ducendũ.* Constat idem ex lib. de contempl. Dei per decem modos, §. de bonitate, declarando, quomodo contemplatio

transit in raptum: ex 4. sent. quæst. 132. ex lib. natal. pueri parvuli Iesu cap. 26. ex 2. contempl. dist. 18. cap. 84. ex 2. sent. quæst. 49. & alibi sæpe.

Intelligit ergo Doctor, quod anima, non dato originali peccato, cursum, & ordinem, ad quem creata est, sequeretur naturaliter, ex parte scilicet naturalis propensionis ad conservationem rectitudinis inclinantis hominem ad Deum finem vltimum: quoniam *naturale dici potest id, quod est naturæ consentaneum, quodque eam non destruit, sed ornat, ac perficit*, vt ait Card Bellarm. tom. 4. lib. de gratia primi hominis, cap. 5. Deinde intelligit, quod anima ordinem supernaturalem sequeretur naturaliter, prout scilicet composita cum rectitudine; id est animæ prout compositæ cum rectitudine esset connaturale sequi, adiuvante Dei auxilio, ordinem supernaturalem; quia, vt ait P. Marçal in sum. Lull. lib. 2. resol. 52. *intra ordinẽ gratiæ dantur effectus, qui appellantur connaturales*: & paulo infra: *nam Doctor quæst. 16. sent. dicit*: voluntatem cum habitu charitatis habere naturaliter libertatem ad diligendum summam charitatem: *& consequenter loquens charitatem appellat naturam; intellige intra ordinem gratiæ.* Visio quoque beatifica dicitur connaturalis intellectui lumine gloriæ illustrato. Et ita connaturale esset animæ, modo dicto, sequi cursum, & ordinem, ad quem creata est, & sequeretur facilé, & frequenter, si non superveniret impediens, animam á fine devians.

TEXTVS XIX.

OMne illud, per quod essentia Divina transcendit in omnibus omnia alia á se, est necessarium: aliter essentia divina non esset nobilissima, actualissima, singularissima, & vnicé vnica; sed si aliquid aliud á Deo esset, vel posset esse æternum; essentia Divina nõ transcenderet illud in æternitate: ergo nihil aliud á Deo est æternum, nec potest esse æternum: non enim Deus esset omnipotens, nisi omnia quæ sunt principiasset, nec esset simpliciter primus, nisi omnia alia á se præcederet, & principiasset: quare patet quod quidquid est aliud á Deo, est ab eo creatum; & per consequens non est æternum, cum omne creatum sit de non esse ad esse deductum. Cap. de creatione rat. 5.

NODVS.

ÆQuivocum est ad significandum, quod non sit omnipotens, si non principiet, tum quod non sit omnipotens, si aliquid quod existit non principietur á Deo, loquendo ad extra.

ENODATIO.

DIco: non sentit Doctor, quod Deus nõ sit omnipotens, si actu creaturas non principiet, seu producat: docet enim, Deum liberé ad extra producere, vt laté dictũ est in 1. & 2. tex. explic. Intelligit ergo, quod Deus non esset omnipotens, si mundus nõ esset totus principiatus, seu posset non esse totus principiatus, videlicet quoad essentiam, & quoad omnia, &

ſingula principia eſſentiæ, bonitatem ſcilicet, magnitudinem, durationem, &c. hoc eſt ſi non eſſet mundus, ſeu poſſet non eſſe initiatus, novus, incæptus, nō æternus, ſeu non ab æterno productus. Quod hæc ſit Doctoris intelligentia, patet ex textu ipſo, & ex arb. Chriſt. cap. de trunco, vbi ait: *mundus ſtetit totus ex nihilo principiatus, & fuit ex nihilo principiatus, vt eſſet totus principiatus; quoniam ſi eſſet æternus, non eſſet totus principiatus.* Quod Deus non eſſet omnipotens, ſi mundum poſſet facere æternum, vel potius ſi mundus poſſet eſſe æternus, conſtat, quia vt tenet Doctor in 1. ſent. quæſt. 35. *quicquid Deus facit ſecundum ordinem ſuum intrinſecum facit, & contra ſuum ordinem intrinſecum aliquid facere non poteſt*: & ſi contra ſuum ordinem intrinſecum aliquid facere poſſet, iam non eſſet omnipotens: contra ordinem autē ſuum intrinſecum poſſet facere Deus, ſi mundum poſſet æternum facere, ſeu potius ſi mundus poſſet eſſe æternus: tunc enim æternitas Divina non eſſet peculiaris, ſingulariſsima, vnicé vnica, ſumma, nec omnium durationū ſuprema; nam mundi duratio coæquaretur cum duratione Divina: ac proinde inter dignitates Divinas eſſet maioritas, & minoritas; quia quælibet alia Divina dignitas, verbi gratia, magnitudo Divina, cum qua nulla coæquari poteſt, eſſet maior, & nobilior duratione Divina: cum peculiare Dei, cui creatura coæquari nequiret, eſſet nobilius, & perfectius non peculiari, cui creatura poſſet coæquari: peculiare namq; cui creatura

coæquari non posset, esset summum, & supremũ, non sic non peculiare, cui creatura coæquari posset: nam summitas requirit esse in vno, nec potest esse in pluribus; quia neutrum esset summum. Totum docet Doctor in ipsa Apostroph. cap. quod ens æternum sit, vbi ait: *si vero dicatur, quod id ens æternũ potest esse mũdus, vel aliquid aliud á Deo: hoc est falsum: nam sicut bonitas Divina non patitur, esse aliquod bonum aliud á se æquale sibi in bonitate; eo quia summa est: similiter nec æternitas Divina; eo quia est summa in duratione: quia summitas ex sui natura non compatitur pluralitatem; quia ratione summitatis dicit singularitatem, & contradicit pluralitati.* Et in arb. Apostol. de flor. cap. de creat. inquit: *si mundus est æternus, sunt duæ æternitates, æternitas Dei, & æternitas mundi: vnde sequeretur minoritas magnitudinis bonitatis in æternitate Dei, quæ nobilior est, & maior, si sit singularis, quam si sint plures æternitates: sicut vnus Deus, qui nobilior est, & maior, si sit vnus, quã si plures essent.* Et pauló infra: *est Divina æternitas contra magnitudinem suæ bonitatis, si sunt plures æternitates: quoniam privat singularitatem suæ æternitatis, quæ privatio est mala, & parvitas magnitudinis. Et quia huiusmodi contrarietas est impossibilis: vt Deus non sit contra se ipsum, oportet de necessitate, quod Deus tantũmodo sit æternus.* Et in lib. natal. pueri parvuli Iesu cap. 17. ait Divina æternitas: *ego sum singularis entitas, magna, & suprema bonitas; cui penitus adversatur, & repugnat habere parem exteriús; vt salvetur mea singularis vnitas.*

Vnde sit, vt ex falsis argumenta ducant, qui mundum duratione parem mihi coæquant: vt enim mea bonitas singularis est, parem non habens, ita quoque æternitatem singularem esse oportet; vt omnium dignitatum, quæ cũ Divinitate convertuntur servetur singularitas. Et in 1. sent. quæst. 35. inquit: *sicut Deus extra se facere non potest magnum infinitum, secundum magnitudinem immensi: neque per consequens secundum magnitudinem æternitatis; cum in Deo magnitudo, & æternitas sint idem: quia sicut non competit potestati Divinæ, quod producat magnũ immensum; vt non coæquet ipsum cum magno immenso Divino: sic per consequens producere non potest magnum æternum; vt non coæquet durationem illius cũ duratione Divinæ æternitatis.* Et quæst 32. ait: *cum Deus simpliciter, & absolutè per se sit infinitus; sicut sua bonitas bonitatẽ mundi comprehendit simpliciter; sic æternitas Dei simpliciter durationem mundi comprehendit; vt sit ita magna in comprehensione sui effectus, sicut bonitas: & per consequẽs sicut Divina magnitudo, quæ magnitudinem mundi finitã simpliciter comprehendit; & sic de aliis comprehensionibus Divinorum attributorum, quæ simpliciter mundi partes comprehendunt: vnde sequitur, quod sic simpliciter mundus est comprehensus quoad suam durationem per Divinã æternitatem; sicut quoad suam bonitatem per Divinam bonitatem, vnde de necessitate sequitur, quod mundus novus sit, & non æternus; alioquin Divina æternitas non esset in tantum comprehensiva, sicut Divina bonitas, Divina magnitudo, &c. vnde sequeretur quod*

in Deo dici poſſet vnum attributum eſſe maius alio, quod falſum eſt, & impoſsibile.

Dices: Deus habet poteſtatem infinitam: igitur facere poteſt mundum æternum: nec eſſet Omnipotẽs, ſi æternum facere non poſſet.

Reſpondeo, quod Deus de poteſtate ſaltẽ abſoluta, & quoad ſe ipſum poteſt mundum æternum facere: quia poteſtas abſoluta præſcindit ab exigentia magnitudinis Divinarum perfectionum, & á capacitate, vel incapacitate termini, vt laté dictum eſt in 1. tex. explic. ſed de poteſtate ordinata non poteſt mundum æternum producere: nec mundus capax eſt æternitatis; quia ſi mundus poſſet æternitatem habere derogaret ſingularitati, & ſummitati æternitatis Divinæ. Totum docet Doctor in lib. natal. pueri parvuli Ieſu cap. 21. vbi Divina virtus ait: *ſicut ſum infinita agendo intrinſecù; ſic eſſem & exteriùs producendo, niſi infinitas creaturæ penitus repugnaret.* Et cap. 18. ait Divina poteſtas: *ego ſum poteſtas abſoluta, ex me, propter me ſimpliciter ordinata; dans eſſe rebus exteriùs, ſecundum quod effectus natus eſt participare, & recipere meum eſſe. Et illi pietatem neſciunt, qui idcircó meæ virtuti limitem, terminumque ſtatuunt, quia infinitum non producam: in me autem infinitum produco; cum mea virtus abſoluta ſit, ſimplicisſima, & perfectionis ſummæ infinitæ: ſed extra me nihil tale produco, non ex mea quidem impotentia; ſed quia id ipſum effectui repugnat: quo pacto enim extra me eſſe poſsit infinitum ens, infinitum bonum, infinitũ verum,*

& infinitum potens, & immensum, supple, & infinitum durans, *& id insuper meæ adversatur singularitati. Idcirco omne creatum, quatenus creatum est, terminari, finirique necesse est.* Et in arb. quæst. de flor. arb. Apostol. cap. de creat. inquit: *impossibile est, quod potestas Dei plus possit de æternitate, quam de bonitate, magnitudine, sapientia, voluntate, veritate, gloria, & virtute: quoniā si plus posset per æternitatem, quam per alias formas;* (rationes, seu dignitates, quæ sunt in Deo, formas vocat, non quod in Deo sint plures formæ, vt ait in arb. Apostol. de flor. cap. de vnitate Dei) *maiorem convenientiam haberet cum æternitate, quam cum aliis formis: & foret in Deo maior, & minor convenientia, quod est impossibile: ergo potestas Dei producere non potest, nec creare mūdum infinitæ bonitatis, magnitudinis, potestatis, sapientiæ, & sic de aliis formis: quoniam mundus illam infinitatem recipere non potest: sed potestas illam dare posset, si subiectū esset dispositum ad recipiendum: quare sicut potestas mundum infinire non potest per bonitatem, magnitudinem, & sic de aliis dignitatibus: sic ipsum infinire non potest per æternitatem.*

TEXTVS XX.

IN omni opere Divino extrinseco operatur tota Trinitas, aut secundum vnam rationem communem, aut secudum proprietates personales. Cap. quod Filii Dei conceptio debuit fieri per Spiritum Sanctum. rat. 1.

NODVS.

VIdetur intelligere, aliquid operari ad extra personam vnam, quod non operetur alia.

ENODATIO.

DIco: oppositum sentit Doctor; ait enim in 1. contempl. dist. 5. cap. 11. *nulla ex tribus personis posset in hoc mundo aliquid operari sine aliis.* Et in 2. dist. 10. cap. 30. dicit: *sola benedicta sis, ó Sancta Trinitas, quoniam, cum creaveris omne quod est, dignum est, &c.* Et in proverb. part. 1. cap. 5. ait: *si Deus intra se productionem non haberet, ipsam extra in creaturis habere non posset.* Tandem in arb. Christ. cap. de flor. inquit: *Pater, qui est vnum principium activum; & Filius, qui est aliud principium passivum, & activum; & Spiritus Sanctus, qui est principium similiter passivum ex ambobus, hæc tria principia sunt vnum principium commune, quod est principium Creator.* Patet quoque ex ipso textu, illis verbis: *in omni opere Divino extrinseco operatur tota Trinitas.* Cum autem addit, *aut secundum vnam rationẽ communem, aut secundum proprietates personales*, intelligit, quod operatur tota Trinitas secundum rationẽ communem, id est vt Deus vnus, & trinus, quatenus respicit opus, vt productum ad extra, seu vt effectum. Operatur autem secundum proprietates personales, quatenus quælibet persona speciali modo sibi competenti se tenet in opere extrinseco: quare subdit in cõtextu: *cum ergo in huiusmodi Incarnatione non sint nisi*

tria, scilicet missio, generatio passiva, & conceptio; Patri attribuitur missio, generatio passiva Filio, Spiritui Sancto attribuitur conceptio.

TEXTUS XXI.

NObilius est id ens, quod bonum est, & bonum facit; infinitum est, & infinitum facit; æternum est, & æternum facit; perfectum est, & perfectum facit; &c. quã illud, quod non facit. Cap. quod sint duæ personæ rat. 5.

NODUS.

ADmittit Doctor facere in Deo ad intra.

ENODATIO.

DIco: non fuit Doctor usus verbo facio in propria significatione; sed in impropria, sumpto verbo facio pro produco: ita ut idem sit bonum facere, quod producere bonum, &c. Patet ex arb. Divinal. de personis, cap. de Paternitate Divinal. ubi ait: *Deus est bonus, & in hoc quod sua bonitas est ei ratio, quod faciat bonum; (appellamus bonum facere, bonum producere) habet se Deus ad faciendum bonum. Et quia sua magnitudo est ei ratio, quod faciat magnum; (appellamus magnum facere, producere magnum: & hanc loquutionem tenemus in toto hoc processu) Deus qui est magnus, habet se ad producendum magnum.* Idem constat ex aliis multis locis. Quare in prologo super quæst. solubiles per art. invent. veritatis ita habet: *Unde devoté supplicamus*

stu-

studentibus, vt impropria dicta nostra calumniari nolint: sed attendant, quid per ea propriè significare velimus. Et in prolog. art. invent. veritatis dicit: *& quoniam ita est, quod existentiæ, & operationes rerum, de quibus intenditur vehementiores, atque plures sunt in se ipsis, quam earum similitudines in intellectu; & ipsæ similitudines maiores, & ampliores sunt in intellectu, quam in sermonibus earum signa: magna est ergo distantia signorum á rebus suis. Ea propter nos fingere verba licet, propter signorum paucitatem; & de vi, & de necessitate Artis aliquoties inusitata verba proferre.* Ac eadem improprietate loquutus est D. Dionys. Areopag. lib. 1. de Divinis nom. cap. 1. & 2. vbi *Deitatem* appellat *Deificam; Deum, Deificum; vnitatem, vnificam; substantiam, substantificam,* &c. Eadem vtitur Card. Cusanus cit. in explicat. tex. 22. appellat enim *Deum, Deificantem, iustificantem,* &c. *Deum Deificabilē, iustificabilē,* &c. Supradictus loquēdi modus fuit approbatus. Primo Paris. apud Parisiensem vniversitatem, per 40. Doctores. Postea Romæ, per Censores sex sub Paulo IV. Primum constat publicis instrumentis: & Romana approbatio est typis excusa. Fuit etiam approbatus per alios Doctores.

TEXTVS XXII.

OMnes dignitates, & rationes Divinæ sunt in Deo perfectissimé, & completissimé, cum sint idem quod Deus: sed ipsæ non possunt significari, distingui, & determinari, nisi sub numero, & in numero trina-

rio: ergo neque personæ. Cap. quod in Divinis sint tantum tres personæ rat. 1.

NODVS.

Ait, omnes dignitates, & rationes Divinas distingui, & differentiari numero.

ENODATIO.

Dico: non intelligit Doctor, rationes Divinas distingui numero trinario, si sub conceptu absoluto capiantur; quia in arb. Apostol. part. 2. folior. cap. de summa Trinitate ait: *omnes tres remanent vna essentia, vnus Deus, vna natura, vna bonitas, & sic de aliis.* Et in 1. sent. quæst. 32. inquit: *Deus Pater est infinitus, & sic Deus Filius est infinitus, & sic de Spiritu Sancto: & licet vnus non sit alius, non sequitur, quod sint tres infinitates; sicut non sunt tres Divinitates, neque tres Dii, neque tres bonitates, neque tres magnitudines, &c.* Idem docet in arb. Apotol. de flor. cap. *de vnitate Dei.* In 1. contempl. dist. 4. *de vnitate essentiæ Divinæ*; & dist. 5. cap. 12. *quod tres personæ Divinæ sunt vna substantia Divina*; & cap. 13. *quod Divina Trinitas est vna in essentia.* Et in lib. proverb. part. 1. cap. 4 *de vnitate Dei.* Et in ipsa Apostroph. cap. *quod sit vnus Deus tantum*, & passim in suis lib. Intelligit ergo, rationes Divinas distingui numero trinario, si sumantur sub conceptu relativo, seu pro tribus correlativis ipsarum, in quibus constituit Doctor Divinas personas Patet ex contextu illis verbis: *quod autem rationes, & Dignitates Divinæ sint in numero trinario tantum, patet: omne enim quod*

est

est bonum, vel est bonificãs, vel bonificatum, vel bonificare; & omne quod est magnum, vel est magnificãs, vel magnificatum, vel magnificare, & sic de aliis. Et in lib. natal. pueri parvuli Iesu cap. 25. ait Divina iustitia: *adhuc æquitas sum, & iustitia, quia pono, quod omnes correlationes sint æqualiter tres personæ Divinæ tantummodo, & æqualiter distinctæ ad invicem; & simul sint æqualiter eadem essentia, substãtia, & natura, vnus Deus singularis, absolutus; quia nõ est amplius perfectionis in vna, quam in alia, nec in tribus, quam in vna essentialiter.* Et in lib. de correlativis dist. 4. inquit Doctor: *bonitas nisi haberet tria correlativa non esset perfecta; vnde necessarium est in ipsa bonitate,* Divina, *existere bonificativum, bonificabile, & bonificare, distincta personaliter; vt relatio infinita integra remaneat, & illæsa.* Et paulo infra: *similiter dici potest suo modo de magnitudine Divina, quæ maxima esse non potest sine correlativis infinitis: magnificabilitas enim non esset propria, neque intranea passio ipsius magnificativi, sive finis ipsius nõ esset intrinsecus, sed extrinsecus; neque magnificare intrinsecum esset simpliciter denudatum ab extrinseco subiecto, & deperderetur maximitas ipsius magnitudinis, & ociositas generaretur, quod est impossibile.* Idem est de æternitate, potestate, intellectu, voluntate, &c. Et inferius ait: *Divina essentia est vna indivisa, æterna, & infinita; similiter de suo esse, quod convertitur cum ipsa essentia: hoc autem esse nõ potest, nisi bonificativum, magnificativum, & sic de reliquis: tivis rationum supradictarum sint vna proprietas propria*

activa: & quod bonificabile, magnificabile, & sic de aliis bilibus sint similiter vna proprietas propria passiva; & quod bonificare, & magnificare, &c. existāt vna proprietas connexiva, & tota tria in simul sint vna essentia, vnum esse Divinum, & vnus Deus: aliter namque principia supradicta, & correlativa eorum nō possent esse vna essentia, vnum esse Divinum, nec vnus Deus. Per proprietatem autem activam, proprietatem intelligimus Paternalem; per passivum vero, Filialem; per connexivam autem, Spiratam. Et paulo infra: *diximus autem Patrem vnam esse personam, Filium aliam, & Spiritum Sanctum aliam: quae quidem tres personae vna bonitas existunt, vna magnitudo, &c. vna natura, & substantia, & essentia indivisa, & vna Deitas: tamen quia differunt sicut correlativa supradictarū rationū, constituuntur hoc modo; nā tiva praedictarum rationum personam Patris constituunt, & bilia personam Filii, ipsa vero are, videlicet bonificare, magnificare, &c. personam Spiritus Sancti sub ratione amoris.* Idem docet in ipsa Apotroph. cap. quod in Diviuis sit dare tertiam personam rat. 5. vbi ait: *patet ergo, quod si ponatur in Divinis praedicta Personarū pluralitas, quam probavimus, omnes dignitates Divinae habent suos actus intrinsecos, & perfectos, secundum omnes rationes; sicut bonitas, bonificativum, bonificabile, & bonificare; magnitudo, magnificativum, magnificabile, & magnificare; & sic de omnibus aliis dignitatibus: si autem nō ponatur in Divinis praedicta personarū pluralitas, nulla dignitas Divina habebit actum naturalem, &*

intrinsecũ; imó erunt ab æterno ociosæ omnes intrinsecé, & carentes naturali perfectione, & fœcunditate.

Supradictus loquendi modus fuit approbatus. Primó Parisiis apud Parisiensem vniversitatem, per 40. Doctores. Postea Romæ per Censores sex sub Paulo IV. Primum constat publicis instrumentis: & Romana approbatio est typis excusa. Fuit etiam approbatus per alios Doctores. Eisdem terminis vtitur Card. Cusanus: nam lib. 1. exercitationum sermone, in principio erat Verbum sic ait: *in omni autem actione perfecta tria correlativa necessarió reperiuntur: quoniam nihil in se ipsum agit, sed in agibile, distinctum ab eo; & tertium surgit ex agente, & agibili, quod est agere. Erunt hæc correlativa in essentia Divina tres personæ; quare Deum trinum vocamus; est enim Deus Deificãs, generãs, iustificans, amãs, cum cæteris perfectionibus, quem Patrem vocamus. Est Deus Deificabilis, generabilis, iustificabilis, amabilis, & ita de reliquis, & hunc Filium, á Patre procedentem nominamus. Est postea deificare deificãtis, & deificabilis, id est Patris, & Filii; & sic iustificare, generare, & amare amantis, & amabilis; & hũc Spiritum Sanctum, ab vtroque procedentem nominamus.* Eisdẽ terminis vsus est D. Dionys. Areopag. cit. in explic. tex. 21.

TEXTVS XXIII.

ILle numerus, cuius partes magis conformiter regulatæ, & ordinatæ se habent, ponendus est in Divinis, &c. sed numerus trinarius, vt ponitur in Divinis,

habet partes conformes, regulatas, & ordinatas: nam quæcumq; Divina persona consideretur, duæ aliæ eã æqualiter respiciunt, & æqualiter respiciuntur ab ea. Cap. quod in Divinis sint tantum tres personæ rat. 3.

NODVS.

DIcit, trinarium in Deo habere partes.

ENODATIO.

DIco: intelligit Doctor pro parte numeri trinarii, quamlibet personam vnam ex numero trinario personarum: nam in contextu ait, *considerata quavis vna persona, tamquam pro vna parte numeri trinarii:* vna autem persona ex numero trinario non est totus numerus trinarius, sed tantum pars numeri trinarii; cum vnum non sit tria, sed pars trium. Non vero intelligit Doctor trinariũ in Deo habere partes compositivas: quia dicit in arb. Divinal. cap. de substãtia arb. *nec etiam Deus substantia est composita de partibus, nec de aliqua alia re; quoniam ens æternum, & infinitum, & quod nõ habet in se aliquod accidens, compositum esse non potest, & maxime cũ sit pura simplicitas, & in puro simplificare, producente vna simplici persona, quæ est Pater de tota sua simplicitate aliam personam, quæ est Filius; & hoc idem de Sancto Spiritu: idcirco nulla substantia, quæ sit simplex, & in qua sit simplificare, cum æternare, & infinire, composita esse potest; cum ita sit, quod simplicitas, & compositio contrariantur.* Et in 1. sent. quæst. 20. ait: *inter numerum, qui est in Deo, & numerũ, qui est in creatis*

est

est magna differentia: cum in numero, qui est in Deo nulla cadat compositio, neque accidens; sed in numero qui est in creatis sic. Et paulo infra: *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus numerum faciunt, qui cum ipso numero, qui Deus est convertuntur: & Pater est Deus, & Filius est Deus, & Spiritus Sanctus est Deus: & sic Deus quoad personas est tres; & quoad essentiam, & naturam est vnus Deus, & nõ plures: & hoc est, quia personæ tertium non multiplicãt.* Tandem in arb. Apostol. 2. part. folior. cap. de summa Trinitate tenet: *summam Trinitatem firmiter credimus, & simpliciter confitemur sine quãtitate continua, & discreta: quoniam in quãtum credimus vnum Patrem, vnũ Filium, & vnum Spiritum Sanctum, & omnes tres vnum Deum, & nõ tres Deos; credimus, & confitemur, quod in Trinitate nõ est quantitas; quoniam in ipsa non potest esse postquam omnes tres remanẽt vna essentia, vnus Deus, vna natura, vna bonitas, &c. quoniam quãtitas discreta sine diversitate essentiarum esse nõ potest, aut sine diversitate essentiæ, & suppositi, aut concreti: sicut in bonitate creata, in qua bonificativum, bonificabile, & bonificare sunt distincta, in quãtum vnum nõ est aliud: & quamvis ita sit, quod sint de vna essentia bonitatis; nullum illorum est bonitas: & ideo quodlibet per quãtitatem attingitur, & in quãtitate bonitatis determinatur. Sed hoc nõ est in Beata Dei Trinitate; quoniam Pater est tota essẽtia Divina, & Filius tota essentia Divina, & Spiritus Sanctus tota essẽtia Divina: & Pater de toto se ipso producit Filium; & Pater, & Filius de totis se ipsis Spiritum Sãctum prducũt.*

TEXTVS XXIV.

IN hoc tractatu hoc tantũ in intentione habuimus, vt ostenderemus, quod fides christiana probari poterat per necessarias rationes. Cap. de fine huius tractatus.

NODVS.

VIdetur velle, fidem certó probari per rationes necessarias; quod opponitur cum illo Pauli: *fides est argumentum nõ apparentium*, in qua semper datur aliqua saltem revelationis obscuritas. Et posse aliquẽ venire ad veritatem mysteriorum fidei, etiam circa humanitatem; & non solum per fidem: cum tamen dixerit Christus: *nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum.*

ENODATIO.

DIco: minimé permittit Doctor, quod fidei mysteria posint absque fide, seu revelatione probari; sed tantum fide supposita, intellectum exaltante. Constat ex lib. de convenientia intellectus, & fidei in obiecto part. 1. vbi ait: *& ideo ego, qui verus catholicus sum non intendo probare articulos contra fidem, sed fide mediante; cum sine ipsa probare non possim: nam articuli sunt superiús, & meus intellectus est inferiús: & fides est habitus, cum quo intellectus ascendit supra vires suas.* Et part. 2. ait: *Deus est superiús, & intellectus inferiús; & sic ipse intellectus naturaliter nõ potest ascendere ad obiectandũ ipsum Deũ intelligẽdo, ratione cuius Deus habituat*

ipsum

ipsum de fide, vt mediante fide possit ascendere; sicut humana voluntas, quæ per se non potest ascendere ad diligẽdum Deum supra se, nisi per charitatem, quæ est habitus suus, vt ascendat ad diligendum supra vires suas. Et in lib. de civitate mundi cap. de fide inquit: *fides est habitus, cum quo intellectus ascendit ad intelligendum de Deo ea vera, quæ de Deo intellectus per fidem credit; quoniam ad ipsa vera intellectus sine fide ascendere nõ potest intelligere; & per hoc inter intelligere, & credere existit concordantia, cum intelligere, & credere sint sub eadem potentia, vtputá intellectus humanus, qui credit, vt intelligere possit; & hoc significatum est per Isayam Prophetam dicentem cap. 7.* nisi credideritis non intelligetis. Et in lib. de disp. intel. & fidei, fidei ait intellectus: *tu fides es dispositio, & præparatio, per quam ego de Deo sum dispositus ad res altas: quia in hoc, quod ego per te suppono, credendo quod possum ascendere, habituo me de te: & sic tu es in me, & ego in te: & quando ascendo ad gradum, in quo tu es, intelligo.* Et inferius: *per te lumẽ habeo, quod aliquid de Divina Trinitate extensivè apprehẽdere possim.* Idem tenet pasſim.

Notandum tamen, Doctorẽ non intellexisse, quod articuli demonstrentur per causam; cum Deus non habeat causam supra se: nec potiús per effectum, cum talis demonstratio potissima non existat; sed potissimé per æquiparantiam. Patet ex lib. de demonstratione per æquiparantiam, vbi ait in Prologo: *quoniam quidquid demonstratum est ab antiquis, demonstratum est*

aut per quid, aut per quia; & subiectum huius libri est investigare distinctionē in Divinis personis per demōstrationem: quæ fieri non potest per quid; ex eo quia Deus non habet supra se aliquid: & demonstratio per quia non est potissima: idcirco intendimus probare distinctionem prædictam per æquiparantiam actuum Divinarum rationum. Et in lib. de convenientia intel. & fidei in obiecto part. 1. inquit: *non autem dico, quod probem articulos fidei per causas, quia Deus nō habet causas supra se, sed per talem modum, quod intellectus non potest rationabiliter ipsas rationes negare.* In 1. sent. quæst. 1. sic ait: *est ipsa Trinitas demonstrabilis, non propter quid, sed per æquiparantiam.* Et infra: *quando dicis, quod Divina voluntas non est sub aliquo alio, vt de necessitate vellet Incarnationem Filii Dei, verum dicis: sed respondeo tibi per æquiparantiam, &c.*

Sed dices: si fidei mysteria probari possent per necessarias rationes, fidei meritum deperderetur: igitur.

Respondet Doctor in 1. sent. quæst. 1. sic: *& quia dicis, quod si intellectus articulos per demonstrationem attingere posset, fides destrueretur; male dicis: quia quantó intellectus altiùs intelligit veritatem articulorum, tantó maius meritum assequitur, cum ad intelligendum veritatem articulorum creatus sit, sicut humana voluntas ad diligendum illorum veritatem, & sic de memoria, vt supra dictum est. Etiam sicut intellectus creatus est ad intelligendum veritatem articulorum; ita creatus est ad defendendum ipsam veritatem contra infidelium falsitatem: sed*

hoc facere non posset, si veritatem ipsorum articulorum ignoraret; quia ignorando ipsam, ignoraret errores, qui sunt contra ipsam: & solum voluntas hominis catholici diligeret veritatem, & odiret errores, qui sunt contra ipsam veritatem articulorum: & ipsa voluntas ipsos errores destruere nõ posset; imo ita esset inter ipsos, sicut ovis inter lupos: & sic de memoria Adhuc tibi dico, quòd Christus Dominus Noster argumentatus fuit per mortem in cruce, quòd ipse erat verus homo. Et quod erat resuscitatus, quando Magdalenæ apparuit. Et quando cum Apostolis de favo mellis comedit. Et quando Beato Thomæ suum latus ostendit. Et quando Apostolis præsentibus ad Cælos ascendit: & sic de linguis diversis Apostolorum, & de multis aliis miraculis, quæ fuerunt facta ad probandum fidem. Et licet intellectus articulos fidei intelligat, nõ sequitur, quod fides destruatur: quia ille qui ipsos intelligit, intendit, quod si ipsos non intelligeret, ipsos tamen crederet. Et adhuc fides instrumentum est, & iuvamen, vt intellectus articulos intelligat, vt legitur, nisi credideritis, non intelligetis. *Etiam dico tibi, quod homo principaliter ad se creatus non est; nec per consequens ad habendum meritum per fidem, imo creatus est principaliter ad intelligendum Deum, diligendum, & recolendum: & ita principaliter ad intelligendum ipsum, sicut ad credendum.* Et in contextu Apostroph. dicit: *Et si dicatur, quod velle rationibus inniti deroget fidei, vel fidelium merito: dicimus, quod fideles, qui non quærunt intelligere, vt credant; sed credentes, quod si non crediderint, non intelligent; fidem simpliciter,*

& constantissimé amplectentes; ad tantam possunt in virtute eiusdem fidei sublimitatem intelligentiæ elevari, quod ipsa fides, quæ voluntatis firmiter eam credentium erat vita, pabulum, & fomentum; sua fundamenta, quibus innititur, necessarias scilicet rationes ministrabit; eisdem quæ sint confortativum, exaltativum, illustrativum, ac intellectus speculum obiectivum. Ipsa autem fides, ad instar supernatantis olei, in sublime consurgens, tanto ad altiorem gradum in eisdem credentibus elevatur; quanto intellectus, multiplicatis necessariis rationibus, altiorem sibi scalam erexit; eo quod ipsa fides, intellectum in se ipsa fundans; eumque, investigando, continué concomitans, & confortans; supra intellectus vires, & potentiam excandescit: quia fatigari nesciens, semper nititur intentiús, & altiús ad credendum: propter quod fides altiús erigitur, & meritum credentium ampliatur.

Dices deinde: de eadem re in eodem intellectu nequid existere fides, & scientia; cum idem non possit ab eodem, claré, & obscuré cognosci: igitur.

Respondeo, quod licet fides semper habeat aliquã revelationis obscuritatem; non opponitur tamen scientiæ viatoris; (in patria autem, *cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*, 1. Corinth. 13. Ita enim clara, & aperta erunt Beatis mysteria omnia fidei, vt nullus maneat locus suppositioni; ac proinde nec fidei.) tum quia fides non est simpliciter obscura, sed tantum minús clara, quam scientia: tum quia scientia proprio innititur medio, alio longé á medio

credendi

credendi; subindeque fides per scientiam non destruitur; imó perficitur, & exaltatur, vt docet P. Marçal in summa Lull. lib. 1. resol. 1. sic dicens: *quó autem altiús ascendit scientia, eó fides supereminet: sicut enim oleũ ascendit, ascendente aqua; sic fides ascendit, ascendente scientia.*

Item dices: veritas mysteriorum fidei est supernaturalis: at supernaturalis veritas nec á posteriori, nec ab æquali, seu per æquipatantiam Divinatum dignitatum, rationibus naturalibus, & necessariis demonstrari valet: ergó.

Respondeo, quod licet rationes, quibus demonstrantur mysteria fidei naturales sint, cum ex præmissis nulla sit de fide, nec fides vt præmissa influat ad assensum conclusionis: quia tamen fides, quæ requiritur, est supernaturale lumen, intellectui obiectum supernaturale proponens: ideo per fidei lumen supernaturale potest intellectus disponi, & ascendere ad discurrendum de supernaturali obiecto per fidem ipsam proposito; & naturales rationes invenire; quæ ante fidem intellectum latebant saltem vt probativæ supernaturalis veritatis. Hoc autem minimé repugnat, quia res supernaturales non continentur in principiis naturalibus tamquam in potentia physica subiectiva; vt formæ continentur in materia: sed continentur in principiis naturalibus, tamquam in principio demonstrativo, tantum obiectivé, vt continentur conclusiones in præmissis: nam cũ res supernaturales sint veræ,

& principia naturalia habeant veritatem conducentē ad omnes veritates demonstrandas, quia veritas cum veritate cōcordat; propterea quū fides elevavit intellectum ad attingendum supernaturale obiectum; potest tunc intellectus necessarias, & naturales rationes invenire probativas supernaturalis veritatis obiecti propositi.

Tandem dices: intellectus viatoris intelligere debet dependenter á sensibus: sed supernaturale nequit percipi per sensus: igitur.

Respondeo, quod intellectus noster pro hoc statu, iuxta connaturalem modū, semper intelligere debet adiuvantibus sensibus, seu imaginatione, quantum ad primas species: quibus tamen suppositis, independenter á sensibus, & imaginatione valet efformare secundas species, & potest sua virtute discursiva supra sensus, & imaginationem ascendere; non solū circa spiritualia ordinis naturalis, qualis est Angelus, verum etiam circa supernaturalia. Hoc docet Doctor in 1. sent. quæst. 1. dicens: *intellectus duobus modis attingit obiectum suum, subito scilicet, & successivé. Subito, quādo attingit, quod omnis triangulus habet tres angulos: & hoc, quia per sensitivum, & imaginativū certificatus est: & per hunc modum, vel per consimilem, non dico, quod Trinitas sit demonstrabilis, cum ipsa sensibilis nō sit, neq; imaginabilis; sed secundū modum discursivum, quē habet intellectus in attingendo est ipsa Trinitas demonstrabilis.*

Demonstrabilia quidē sunt misteria fidei á posteri-

oti, & potissimé per æquiparantiam, seu æqualitatem Divinarum perfectionum, vt dictum est. Sed vt clarius appareat, dicam aliqua, quibus Dr. Trinitatem probat. Et primó notandum, quod substantialis bonitas, magnitudo, &c. quibus, in Lull. schola, substãtia essentialiter constituitur, habent tria correlativa inter se distincta, propria, intranea, innata, & necessaria. Et sic bonitas habet bonificativum, seu naturam activam; á quo est bonificabile, seu natura passiva: & ab vtroque est bonificare, seu natura cõnexiva: alioquin, vt ait Dr. lib. de correlat. dist. 2. *bonitas naturã non haberet, & esset vacua, & ociosa.* Similiter ait ibidẽ, *tota magnitudinis essentia naturam habet activam, passivam, & connexivam, indivisam, & ab omni vacuitate, & ociositate remotam.* Idem docet de duratione, potestate, &c. Vnde cum bonitas, magnitudo, &c. sint perfectiones simpliciter simplices, in Deo dicta correlativa necessarió habebũt, ne vacué, & ociosé existãt.

Notandum deinde, quod bonitas (idem est de aliis) in substantia creata habet correlativa in genere causæ formalis; cum mediantibus ipsis in suo proprio bonificabili, seu passione intranea bonificet magnitudinem, durationem, &c. quæ formaliter ex natura rei á bonitate distinguntur. Bonitas autem in Deo nequit habere correlativa respectivé ad magnitudinem, æternitatem, &c. alioquin magnitudo, æternitas, & cæteræ perfectiones Divinæ ad bonitatem comparatæ essent formaliter ex natura rei ab ipsa distinctæ; (in

 Lull.

Lull. quidem ſchola, perfectiones Divinæ ad invicem comparatæ nec virtualiter diſtinguntur; ſed ſolum ad actus comparatæ, aut virtualiter, aut ex natura rei formaliter) & eſſent per accidens bonæ per bonitatẽ; & ſic infinité perfectæ non eſſent: nam, vt magnitudo ſit infinité perfecta, debet eſſe per ſemet ipſam bona, æterna, potens, &c. & non accidentaliter per aliã perfectionem: ſimiliter æternitas vt ſit infinité perfecta, debet eſſe per ſemet ipſam bona, magna, potens, &c. & ſic de aliis. Vnde in bonitate Divina debent eſſe correlativa in genere productivi intrinſecé: nam bonitas ipſa eſt ſingulariſsimé completa in eſſe naturæ; ac proinde bonificativum, verbi gratia, quod oritur debet eſſe productivum intrinſecé. His poſitis.

Sic Trinitatem probat Dr. in lib. de correlat. diſt. 4. *bonitas niſi haberet tria correlativa, nõ eſſet perfecta: vnde neceſſarium eſt in ipſa bonitate* Divina *exiſtere bonificativum, bonificabile, & bonificare diſtincta perſonaliter; vt relatio infinita integra remaneat, & illæſa: ita quod bonificabile intrinſecũ ſuo bonificativo proportionetur infinité: eodem modo de bonificare; aliter enim deperderetur ſumma relationis ſingularitas. At ſi dicis ſatis ſufficere, quod bonificativum optimé bonificet exterius: reſpondeo nõ eſſe ſatis; cum illud quod eſt inferius, & paſsivé finitum, non poſsit ſuſcipere bonificationem infinitam: Item quia ſuperius eſſet ocioſum; quippe cum infinitum ſit, non ageret infinité, bonificatum finitum producendo: quæ quidem ocioſitas impoſsibilis eſt, & contra infinitatem optimitatis*

bonitatis Divinæ. Et pauló infra: *similiter dici potest, suo modo, de magnitudine Divina, quæ maxima esse non potest sine correlativis infinitis: magnificabilitas enim non esset propria, neque intranea passio ipsius magnificativi, sive finis ipsius nō esset intrinsecus, sed extrinsecus; neq; magnificare intrinsecum esset simpliciter denudatū ab extrinseco subiecto; & deperderetur maximitas ipsius magnitudinis, & ociositas generaretur, quod est impossibile.* Et inferiús ait: *in potestate Divina tria insunt correlativa distincta intranea; vt potestas ipsa tantum existat infinita in possificando, quantum in existendo; vtq; possificativum, & possificabile infinita ipsi proportionentur possificare infinito: aliter possificare non quiesceret, neq; per consequens possificativum, nec possificabile, & natura potestatis intranea deperderetur, & ociositas generaretur, & vacuitas quod est impossibile.* Subdit ibidem: *hoc autem esse non potest, nisi bonificativum magnificativum, & sic de reliquis tivis rationum supradictarum sint vna proprietas propria activa; & quod bonificabile, magnificabile, & sic de aliis bilibus sint similiter vna proprietas propria passiva: & quod bonificare, magnificare, &c. existant vna proprietas connexiva.* Addit: *per proprietatem autem activam, proprietatem intelligimus paternalē; per passivam vero filialem; per connexivam autem spiratam. Et ratio huius ea est, videlicet vt activus producat passivum, ita bonum, ita magnum, &c. sicut ipse est: quod facere non potest nisi ipsum de se ipso producat: nam si posset, productus novus esset, & de materia, & per consequēs*

 com-

compositus, quod est impossibile. Et in lib. disp. Homer. p. 2 cap. 2 sic probat: *quoniã Deus est infinitus, & æternus; ideo bonitas est ei ratio infinita, & æterna, vt producat bonũ infinitũ, & æternũ: alioquin ipsa bonitas nõ esset infinita, & æterna diffusivé, nec haberet naturã, quã habet; sed quia habet naturã infinitam, & æternã diffusivé: ea de causa consistit in essentia Divina producens bonus, infinitus, & æternus; vt bonitas nõ sit vacua, nec ociosa ab æterno, nec in æterno. Et talis producens est necessarius, ratione bonitatis, infinitatis, & æternitatis; & istũ dicimus Deũ Patrem: eodẽ modo sequitur Filius necessarius bonus infinitus, & æternus. Et quia bonũ est, quod se diligãt infinité, & æterné; ipsi necessitant Spiritũ Sanctum, spirando, sive diligendo; vt amor, quẽ inter se habent sit ita bonus, infinitus, & æternus, sicut ipsi sunt.* Cap. 8 sic probat: *õne ens habens existentiã, & agentiam infinitã est ens infinitum absoluté: quia quitquid est infinitũ, aut est infinitum per existentiã, aut per agentiã, aut per vtramq; si enim ens esset infinitum absoluté per existentiã tantũ iam indigeret agentia infinita, & é converso: & sic simpliciter nõ esset infinitum absoluté, sed secundũ quid.* Et cap. 16 sic: *omne ens infinitum habẽs naturam distat magis á finito cũ natura, quã sine natura: ratio huius est, quia absq; natura esset vacuũ, & ociosũ, quæ sunt de ratione finita, &c.* Ac cap. 20. *omnis magnitudo est magis magna per suũ actũ, scilicet magnificare, quã sine ipso: ratio huius est, quia sua potestas est magna per existere, & agere; & absq; actu est ligata, & est de conditione parvitatis, & magnitudo, &*

sua potestas sunt vacua,& ociosæ. Et cap. 34. probat sic: *Deus est perfectio infinita: illa autē nō potest esse infinita, nisi sit cū infinita existentia,& agentia: habet ergo Deus infinitā,& perfectam agentiā,sicut & existentiā infinitā, & perfectā. sed Deus est Deus per infinitā, & perfectam existentiam: ergo Deus est Deus per infinitā, & perfectā agentiam; vt infinitas,& perfectio agentiæ, & existentiæ se correspondeant æqualiter: sed Deus in quantum existit Deus nō agit se ipsum; quia nullū ens agit se ipsū substātialiter; sicut homo qui nō facit se ipsum hominē: ergo Deus agit, sive producit Deū, vt habeat infinitā, & perfectam agentiam: Deus autē qui producit Deū, dico ipsū esse Patrē: eoquia de tota sua infinita,& perfecta existentia producit Deū Filium infinitū, & perfectum: & sic respiciunt se æqualiter infinita, & perfecta existentia, & infinita perfecta agentia; & hoc per infinitā, & perfectā bonitatē, magnitudinē, & æternitatem, &c. Et quia æqualiter se respiciunt existentia, & agentia in Divina essentia,& in eius connaturalibus rationibus: ideo æqualiter se habēt ad producendū Spiritū Sanctū; vt respectus, quē habēt Pater, & Filius invicē, sit ita infinitus, & perfectus, sicut sunt existentia,& agentia eorum.* Vide Apostroph. & Card. Cusanum cit. in explic. tex. 22.

Doct. sent. cōfirmat D. Thomas in 1. sent. in fine 3. quæsiti 1. divisionis vbi ait: *sed tamen ratio manuducta per fidē excrescit in tantū, vt ipsa credibilia penitus comprehendat; & tūc ipsa quodāmodo intelligit.* D. Aug. lib. 2. de libero arbitrio cap. 2. sic loquitur: *rationē redditu-*

rus sum; nõ vt fidẽ respuas; sed vt ea iã fidei firmitate tenens, etiã rationis luce conspicias. Et in lib. quest. inquit: *tria sunt de genere credibiliũ quædã sunt, quæ prius credũtur, & postea intelliguntur; sicut sunt articuli fidei.* Et Rich. de S. Victore dicit, *quod ad ea quæ sunt fidei, nõ solũ possunt haberi rationes probabiles; sed etiã necessariæ; licet eas contingat interdũ nos latere.* Et in lib. de Trinit. cap. 8. promittit, *se nõ solũ fide; sed etiã rationibus necessariis, Dei vnitatẽ, & personarũ Trinitatem ostensurũ.* D. etiam Ansel. in Monologio cap. 13. ait: *duo opuscula feci, &c. vt certa ratione, nõ auctoritate, quæ ad Deũ pertinẽt manifestarẽ.* Quã rationẽ, seu rationes sæpe appellat *necessarias:* & per ipsas monstrare profitetur mysteria fidei.

Omnia sub correctione Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ.

ERRATA SIC CORRIGE.

Pag. 16. lin. 3. & 5. recolitus, leg. recultus. Pag. 31. lin. 7. cravit, leg. creavit. Pag. 32. lin. 23. ponitur, leg. ponuntur. Pag. 34. lin. 6. deceminat, leg. determinat. Pag. 57. lin. 3. patibilis, leg. passibilis. Pag. 60. lin. 1. recolitus, leg. recultus. Pag. 62. lin. 16. Christ. leg. quæst. Pag. 63. lin. 4. famma, leg. summa. Pag. 64. lin. 9. fusset, leg. fuisset. Pag. 79. lin. 3. docteram, leg. dexterã. Pag. 102. lin. 1. cap. 17. leg. 30. lin. 12. summæ, leg. summè. Pag. 104. lin. 9. octor, leg. Doctor. Pag. 180. lin. 17. nequid, leg. nequit.

